De Origine Verſionis Septuaginta Interpretum

Exercitatio hiſtorica.

Auctore

M. Samuele Traugott Mücke,

Conrect. Lycei Soravienſis.

Züllichoviæ

ſumtibus hæredum N. S. Frommanni.

M DCC LXXXIX.

BS744
.M83
1789
c.1
Rare

Præfatio.

Neminem latet, viros doctiſſimos ſæpius jam in origines verſionis Alexandrinæ diligenter inquiſiviſſe, atque ita de ejus cauſis expoſuiſſe, ut fabularum tenebræ, quibus origines græcæ interpretationis librorum ſacrorum erant tectæ & obſcuratæ, paulatim diſpellerentur. Cum vero omnis hæc res ita ſit incerta, ut difficile videatur, dijudicare, quid inter illas nugas & fabulas de prima

origine hujus versionis firmum, certum & fide dignum habeatur; res sane videtur esse ingrata, e tot purgamentis grana, uti Eichhornius V. Cl. monuit, eruere. Multi tamen viri docti jam inde ab antiquissimis temporibus caput hoc tractarunt; neque etiam hac nostra fere ætate defuere, qui, inde ab eo tempore, quo Tychsenius V. Cl. hoc agere incepit, ut doceret, versionem hanc Alexandrinam e codicibus hebræograecis esse factam, atque omnem istam traditionem de versione græca jussu Ptolemæi Philadelphi conscri-

pta,

pta, non de ipſa interpretatione librorum hebræorum, ſed de transſcriptione codicum eſſe intelligendam; de Alexandrinæ interpretationis originibus multis in libris diſputarent. Cum vero non ita multi ſint, quos juvet, libros hos omnes evolvere, & quæ ad hiſtoriam ipſam pertinent, inde ſeligere; non alienum exiſtimavimus, epitomen harum rerum conſcribere, & judicio virorum doctorum & æquorum ſubjicere. Non ſperamus quidem fore, ut hoc tentamen noſtrum a vitiis plane reperiatur purum & liberum, putamus

tamen,

tamen, tironibus, ut paucis intelligant, qua ratione & arte libri ſacri in græcam linguam translati eſſe videantur, epitomen hanc non prorſus inutilem fore. Quod inſtitutum ſi juſtis & æquis harum rerum arbitris ſeſe probaverit, ſatis præmii nos inde reportaſſe putabimus.

Scripſi Soraviæ. Menſe Martio.
M DCC LXXXIX.

De-

De
Origine Verſionis
Septuaginta Interpretum.

Libri Hebræorum ſacri non ſine ſapientiſſima numinis providentia, ut præcepta ſaluberrima & divina, a prophetis tradita, aliis quoque gentibus innoteſcerent, atque homines ſenſim ſenſimque a pravitate morum & ſuperſtitioſo deaſtrorum cultu, qua quidem impietate plerique omnes erant perditi, averterentur; in linguas exterorum populorum, qui erant alieni a juſto veri dei cultu, translati eſſe videntur. Syria igitur ab Alexandro & ejus ſucceſſore Ptolemæo occupata, cum græca lingua per totum fere orientem, quem Macedones armis ſibi ſubjecerant, eſſet diffuſa, græca interpretatio librorum ſacrorum mente conſilioque divino eſt facta.

Qua verſione factum eſt, ut illa præcepta divina de vero deo, auctore & moderatore omnium rerum, juſta animi pietate colendo, quæ præter gentem Judaicam, reliquis populis erant ignota, utpote hebraico idiomate ſcripta,

pta, reliquis quoque gentibus traderentur. Quæ quidem gentes, etsi sacra Judæorum haud sequebantur, ex iis libris illam doctrinam de uno Deo paulatim didicerunt. Cum vero ita doctrina salutaris gentilibus esset tradita, & quidem tribus integris fere seculis, antequam vaticinia illa de Christo, haberent eventum; quo intelligi poterat, ea oracula non esse ingenio humano excogitata, sed a Deo ipso vatibus revelata; pluribus hac græca versione, via ad christianam religionem amplectendam, est strata & munita. Et ea videtur fuisse causa, ut Apostolorum ætate ingens gentilium numerus Christo nomen daret. Quod enim ope hujus græcæ versionis multa millia e gentilibus ad sacra Christianorum transierant, veteres eam *ostium ad Christum* appellare solebant. Hanc divinam providentiam, in versione librorum sacrorum justo tempore curanda, conspicuam, jam Eusebius in Præparat. Evangel. l. 8. c. 1. laudavit. Dicit enim "cum jam instaret felix illud tempus, quo „doctrina servatoris nostri longe lateque sese „diffunderet, Deus singulari egit providentia, „ut, quæ jam olim de hoc doctore essent prædicta, ea demum accurata explicatione patefacta, & publicis in bibliothecis collocata, „cunctorum in lucem venirent, immissa hac „Ptolemæo regi mente divinitus: nimirum ut

„quæ-

„quædam quaſi penus eſſet, unde illa poſtea „in populorum omnium uſum fructumque „promerentur." Plures itaque e veteribus Chriſtianis haud dubitarunt contendere, inde ab antiquiſſimis temporibus, diu ante Ptolemæum Philadelphum, græcas verſiones librorum hebræorum eſſe factas, unde doctiſſimi Græcorum philoſophi, qui Aegyptum litterarum cauſa adire ſolebant, rerum divinarum ſapientiam didiciſſent. Id quod Euſebius in Præparatione Evangelica pluribus in locis docet. Ita tradit l. X, c. 10. Pythagoram, Platonem, aliosque multos in Aegyptum profectos, ut gentium plurimarum inſtituta diligenter ſcrutarentur, ſcripta Hebræorum ibi legiſſe, atque inde didiciſſe, quæ ipſi deinde docuerint. Ariſtobulus igitur, eruditus Hebræorum ſcriptor, philoſophus Peripateticus, qui floruit Ptolemæorum imperio, & cujus mentio injicitur l. II. Maccab. 1, 10, ubi dicitur διδασκαλος Πτολεμαιȣ τȣ βασιλεως, apud eundem Euſebium Præpar. Ev. XIII, c. 12, affirmat, fuiſſe ante Demetrium Phalereum atque ante Alexandri & Perſarum imperium græcam librorum hebræorum translationem, unde Pythagoras atque Plato pleraque, quæ conſentiunt cum doctrina Moſaica, ſumſerint. Hinc quoque Clemens Allexandrinus l. I. Stromatum, teſte eodem Euſebio Præpar.

par. IX. 6, asserere non dubitavit, Numam, regem Romanorum, Pythagoræ disciplina & institutione formatum, e litteris Mosaicis didicisse, Deum nullis simulacris & imaginibus esse fingendum & colendum, adeoque præcepisse, templa nullo simulacro, & nulla imagine esse ornanda. Ita quoque Plutarchus in Numa (Edit. Reisk. T. I. p. 258. seqq.) tradit: Numæ scita de statuis deorum plane fuisse similia placitis Pythagoræ: statuisse igitur, numen divinum, principium omnium rerum neque sensui, neque ulli dolori expositum, sed invisibile & incorruptum sola mente comprehendi posse: deo itaque neque hominis, neque bestiæ formam esse tribuendam: nefas enim esse, augustiora exprimere humilioribus: neque deum aliter, quam mente, concipi posse. Neque ea omnia mira nobis videri possunt. Nam fuerunt inde ab antiquissimis temporibus græcæ versiones librorum Phœniciorum. Ita commemorat Eusebius Præp. X, 11. libros Theodoti, Hypsicratis & Mochi, qui tres historici apud Phœnices floruerunt, ab Asito quodam græce versos. Cum vero libri Hebræorum illos longe superarent præceptorum sapientia & rerum gestarum magnitudine, non videtur esse, quod dubitemus de fide Aristobuli. Græci enim philosophi, cum remotissimas regiones adirent, ut sacer-

dotum

dotum præcepta & ſapientiam perciperent, facile, in Aegypto inprimis, incidere poterant in libros Hebræorum, quos eo ardentiore ſtudio legebant, quo minus erant noti. Neque tamen exiſtimandum videtur, verſiones, ſi quæ fuerunt ante Ptolemæum Philadelphum, fuiſſe integras, quæ exhiberent totum codicem hebraicum; aut publicas, in ſynagogis publice lectas; ſed privatas, atque paucis tantummodo cognitas. Propterea jam Strothius (im Repertorium für bibliſche und morgenlændiſche Litteratur. P. II. p. 67 —) monuit, plures fuiſſe verſiones græcas librorum ſacrorum, quæ paucis tantummodo fuiſſent cognitæ, præter illas ab Origene notatas; atque judicavit, Codicem illum græcum Veteris Teſtamenti, qui in bibliotheca St. Marci, Venetiis aſſervatur, quoniam valde diſcrepat ab omnibus verſionibus græcis, quæ nobis ſuperſunt, continere verſionem huc usque ignotam. Quæ verſio, quamvis ætatem LXX viralis translationis ſuperare non videtur, iſtam opinionem de verſionibus, Alexandrina antiquioribus, non tam infringere, quam confirmare videtur. Nam inter omnes verſiones Codicis ſacri, ſive ſint antiquiores, ſive recentiores, ea, quæ dicitur Alexandrina, præcipua eſſe videtur, tum ob antiquitatem, tum ob utilitatem. Inter eas, quæ nunc ſuperſunt,

ſunt, ſane eſt antiquiſſima, quippe quæ Ptolemæo Philadelpho regnante confecta eſſe videtur, eo tempore, quo Judæi lingua hebræa ipſa adhuc utebantur. Summa igitur ejus fuit auctoritas tum apud Judæos, tum apud Apoſtolos, & Chriſtianos antiquos. Utiliſſima eſt interpreti librorum ſacrorum, atque ſummo virorum doctorum ſtudio digna. Ejus enim ope non modo plurima Veteris Teſtamenti loca recte poſſunt intelligi, ſed plurimum quoque conducit ad Novi Teſtamenti libros probe recteque interpretandos. Nam cui genus dicendi LXX interpretum ſatis familiare fuerit, is longe facilius verum ſenſum librorum N. Teſtamenti, cum græca vocabula multa in his libris, quæ ex uſu græcæ linguæ intelligi non poſſunt, ex collatione cum hebræa lingua, & ex uſu LXX Interpretum facile intelliguntur, eruet atque percipiet. Id quod docuit Philippus Melanchthon in Præfatione editionis Scripturæ Græcæ V. & N. Teſtamenti, quæ Baſileæ 1545 prodiit; ubi hæc leguntur: "Utilitas non aſpernanda „eſt, quod, cum ſermonem Apoſtoli, græce „ſcribentes, ex hoc libro (LXX Interpre„tum) ſumſerint, melius intelligent pondera „verborum in Apoſtolicis ſcriptis, qui attente „legent hunc librum." Pluribus de hac re

egit

egit Pearson in præfatione parænetica editioni τῶν ὁ Cantabrigiensi præmissa.

Cum igitur tanta est hujus versionis antiquitas & utilitas; haud alienum esse videtur, in ejus origines diligenter inquirere. Multi quidem, iique doctissimi viri hoc caput jam sæpe tractarunt, & quidem tanta eruditione, sollertia & ingenii acumine, ut temeritatis facile argui possit, qui post tot virorum eruditissimorum curas, eandem rem repetere ausus fuerit: attamen non dubitavimus, quædam de hujus versionis origine proferre, quæ, etsi haud nova cuiquam videri poterunt, nobis quidem non plane indigna visa sunt, quæ judicio aliorum subjiceremus. Constituimus autem ea tantum proferre, quæ ad originem versionis Alexandrinæ, quæ LXX Interpretum dicitur, pertinent. Ne vero temere judicaremus de hac re, primum ea attulimus, quæ de origine hujus versionis tradiderunt antiqui, Aristæas, Josephus, Philo, Justinus, Epiphanius, Eusebius, Hieronymus, & quæ de hac re judicarunt ii, qui his nostris fere temporibus de versione Alexandrina bene meriti sunt: deinde adjecimus ea, quæ nobis de origine hujus versionis videbantur verisimilia.

Si quidem Aristææ, qui scripsit *de legis divinæ ex hebraica lingua in græcam translatione per septuaginta interpretes facta, ad Philocratem fratrem*, auctoritas nobis videatur tanta, ut nefas esse putemus, de ejus fide historica dubitare; nulla poterit esse dubitatio de origine interpretationis Alexandrinæ. Is enim adeo nomina singula illorum interpretum, quos contendit e singula tribu electos ad regem esse missos, memoriæ prodidit. Sed ne incerta fide feramur, res ipsa postulat, ut paucis repetamus, quæ Aristæas de hac versione ejusque origine tradidit, ut intelligamus, quid de omni hac re statuendum sit. Demetrius Phalereus igitur; ita rem refert Aristæas in Epistola ista; interrogatus a rege Ptolemæo Philadelpho, Aristæa ipso præsente, quotnam myriades librorum collegisset, respondit, viginti myriades (200,000) sed se daturum operam, ut brevi tempore quinquaginta myriadum numerus impleatur. Cum librorum Hebræorum quoque, qui ob leges, quas continerent, digni essent, ut in bibliotheca regia reponerentur, regi fecisset mentionem; rex Philadelphus ei præcepit, ut eos libros compararet; &, quoniam lingua ignota essent scripti, uti Demetrius dixerat, pollicitus est, se de ea re ad pontificem Judæorum esse scripturum. Aristæas, qui hæc omnia

nia præſens audiverat, adiit deinde regem, precatus, ut, quos Judæos pater Ptolemæus Lagi in ſervitutem redegiſſet, liberaret, quod eis eſſet idem Deus, quem rex coleret ipſe; quod idem Deus, creator omnium rerum & gubernator, qui illis dediſſet leges, regem ipſum, ejusque regnum curaret & benignus ſervaret. Hujus Dei cauſa, qui a Judæis pie coleretur, Aegyptiis autem Jovis nomine colendus haberetur, Judæis libertatem redderet. Rex, cum audiviſſet, decem eſſe captivorum myriades, ſub menſa bene exhilaratus, libertatem conceſſit non ſolum illis captivis, qui in regia poteſtate erant; ſed iis quoque, qui privatis ſerviebant; atque dominis eorum pro ſingulis corporibus viginti drachmas ſe ſoluturum promiſit. Ita impendit ultra quadringenta talenta. Quaſi vero hic tantus ſumtus ne ſatis magnus quidem fuiſſet, rex omnes Judæos, inde ab Alexandri temporibus in Aegyptiorum ſervitutem redactos, in libertatem redimendos conſtituit, atque ſolvit pro libertate eorum ultra ſexcenta & ſexaginta talenta.

Quibus omnibus peractis, rex Demetrium juſſit de curanda librorum iſtorum translatione libellum, pro more in aula uſitato, ſibi offerre. Itaque epiſtola Demetrii Phalerei ad Ptole-

Ptolemæum regem apud eundem Ariſtæam legitur, in qua Athenienſis ille ſuadet regi, ut agat per litteras cum ſummo Pontifice Hieroſolymitano, ut is mittat regi libros Hebræorum ſacros diligenter deſcriptos, & viros probos, atque legis Judáicæ peritos, ſenos e ſingula tribu, ad verſionem horum librorum divinitus ſcriptorum curandam, perficiendamque. Rex igitur legatos ad Eleazarum ſummum pontificem Judæorum atque Synedrium magnum, quod erat Hieroſolymis, miſit Andream, primum corporis cuſtodem, & Ariſtæam ipſum, viros magnis honoribus ornatos, qui munera vere regia & talenta argenti centum in ſacrificia expendenda, cum epiſtola regis, Eleazaro traderent. Qua in epiſtola rex facit mentionem Judæorum redemtorum, pietatis ſuæ in Deum, & verſionis librorum Hebræorum faciendæ, ad quam curandam interpretes e ſingula tribu ſenos ſibi mitti poſtulat. Hoc enim ſibi magnæ gloriæ futurum eſſe. Summus pontifex inſigni hac regis in Judæos beneficentia & liberalitate captus, legatos regios liberaliſſime excepit, eosque edocuit omnia, quæ pertinebant ad templum Hieroſolymitanum, ad res ſacras, per ſacerdotes procurandas, & ad omnem cultum divinum ex lege Moſaica inſtitutum. Eleazarum pontificem inducit diſſerentem de præceptis illis in lege Moſai-

Mosaica traditis, quæ pertinent ad cultum unius Dei, ad idololatriam fugiendam respuendamque, ad cibos puros & impuros, & quæ sunt reliqua. Diserte dicit, Eleazarum docuisse, alios omnes homines, præter Judæos, tanta laborare stultitia & perversitate, ut multos Deos habeant & colant; & multa addit, quibus stultitia religionis gentilis & idololatriæ intelligitur. Legati tandem cum codice sacro, litteris aureis scripto, atque septuaginta duobus, e singulis duodecim tribubus electis ex præscripto regis, interpretibus, qui, pro peritia sua legum divinarum & scientia utriusque linguæ amplissima, libros sacros græce verterent, a pontifice sunt dimissi. His simul tradiderat litteras ad regem perferendas, in quibus justas ei agebat gratias. Interpretes a summo pontifice missos Ptolemæus mira benevolentia recepit. Nam eodem adhuc die, quo Alexandriam venerant, contra morem regium, quo legati, vel a quovis rege missi, ante diem trigesimum in aulam non admittebantur, ad regem sunt evocati. Rex sanctitatem librorum divinorum ita est admiratus, ut interpretibus septies προσκυνησας magnas ageret gratias, sed majores eis, a quibus essent missi, & maximas Deo, cujus hæc essent oracula. Simul effudit lacrymas, tanquam de re lætissima, hunc diem, per totam

vitam, sibi solemnem & gloriosum fore, prædicans. Per dies septem epulas instituit splendidissimas, in quibus quotidie denis interpretibus totidem quæstiones e philosophorum & politicorum disciplinis petitas, exempli gratia, quomodo amicos sinceros sibi comparare posset, qua ratione in quavis re agendum esset, & alia hujusmodi, proposuit. Ad quas cum sapientissime respondissent, omnes, rex atque amici reconditam eorum sapientiam & pietatem in Deum sunt admirati. Tribus diebus, post convivia illa, otio datis, in Pharum insulam, non procul ab urbe Alexandria sitam, & quidem in ædes splendide exstructas, & ab omni tumultu strepituque remotas, ubi opus ipsum perficerent, interpretes per Demetrium deduci jussit. Singulo tria talenta cum servo, qui appareret, sunt dono data. Quotidie magna diei parte in opere ipso consumta, redire solebant in urbem, ut regem salutarent: cum vero interdum res gravior incidisset, ut, qua ratione loci difficiliores essent vertendi, omnes convenerunt. Toto tandem opere intra duos & septuaginta dies confecto, & absoluto, regi exemplum elegantissime & nitidissime descriptum exhibuerunt. Rex igitur hanc versionem coram omnibus, in conuentu multorum Aegyptiorum & Judæorum, prælegi jussit. Ut autem hæc interpre-

pretatio, quam omnes obſtupefacti admirabantur, integra & pura ſervaretur, eum, qui vel addendo, vel detrahendo quidquam in toto hoc opere adulteraret, diris devoverunt. Rex ſummopere admiratus ſanctitatem librorum & ſapientiam legum divinarum, hos libros, ſumma cum diligentia caſtos & integros conſervari, atque in bibliotheca Alexandrina reponi juſſit. Interpretes autem, munificentia tanto rege digna, donatos ad Eleazarum remiſit.

Ita quidem Ariſtæas hanc rem enarravit. Quæ narratio, num ſit ſatis certa & fide digna, uti tamen quibusdam eſt viſum, nec ne, paucis eſt diſpiciendum. Liceat igitur dubitationes quasdam, tum ad Demetrium Phalereum, qui Ptolemæo Philadelpho regi auctor ſuaſorque verſionis faciendæ fuiſſe dicitur, tum ad regem Ptolemæum Philadelphum, tum ad Ariſtæam, epiſtolæ auctorem pertinentes, ſubjungere.

Demetrius Phalereus igitur primus dicitur ſuaſiſſe regi Ptolemæo Philadelpho græcam verſionem librorum Hebræorum: quod conſilium regi ita, Ariſtæa teſte, placuit, ut ingentes propterea ſumtus facere haud dubitaret. Id quod hiſtoriæ monumentis plane repugnare videtur. Quod ut facilius intelligatur,

gatur, paucis historiam illius Demetrii repetamus. Demetrius, cum rempublicam Atheniensium decem annos, summa prudentia & æquitate administrasset, atque democratiam non modo non sustulisset, sed eam, uti Strabo l. IX. docet, meliorem reddidisset, tantaque apud suos floruisset gratia, ut CCCLX. statuas ipsi erigerent; ab Antigono & Demetrio Poliorceta patria ejectus, ad Ptolemæum Sotera s. Lagi filium, confugit. Is eum tanta benignitate excepit, tantisque beneficiis cumulavit, ut ei ab intimis fere consiliis esset, atque rex ejus opera in rebus gravissimis, perpetuo uteretur. Cum vero eruditione & prudentia æquales suos superaret, eodem Ptolemæo Sotere regnante, qui eum, Aeliano in Var. Hist. l. 3, c. 17. teste, legibus scribundis præfecerat, bibliothecam Alexandrinam curasse, eidemque regi versionem librorum sacrorum Hebræorum suasisse videtur. Rex enim ille Ptolemæus primus tanto flagrabat librorum bonorum amore, ut libris undique congestis, bibliothecam Alexandriæ constitutam, augeret & ornaret. Incredibile fere est, quantos sumtus ipse, atque successores ejus in imperio, fecerint in libris conquirendis. Ita petiit Ptolemæus Evergetes ab Atheniensibus, ut scripta Sophoclis, Euripidis & Aeschyli sibi mitterent; quos libros elegantissime de-

descriptos, retentis illis libris avthenticis, cum dono quindecim talentorum, eis remisit. Demetrium Phalereum igitur regi Ptolemæo Primo, seu Lagi filio, cum apud eum plurimum valuerit gratia, suasisse versionem sacrorum librorum curandam, non est quod dubitemus.

Eundem vero filio ejus Philadelpho auctorem fuisse legationis ad Judæos de hac re mittendæ, repugnare videtur illis, quæ Laërtius in vitis philosophorum l. V. c. 5. n. 8. de eo retulit. Is enim tradidit, auctore Hermippo Smyrnæo, qui Ptolemæi Evergetæ temporibus philosophicam historiam scripsit, Demetrium fuisse Ptolemæo Philadelpho exosum, quod Ptolemæo patri suaserat, ne Philadelphum filiis Eurydices, quippe majoribus natu, injuste præferret, eique traderet regiam potestatem: Demetrium Phalereum propterea statim post Ptolemæi Lagi mortem, jussu Philadelphi, in carcerem conjectum, ibique, quoad certi quid de illo statuisset, asservatum, sed tandem aspide ad corpus admota, vita esse privatum. v. Cicero pro Rabirio Postumo c. IX. Isto igitur tempore, quo hæc omnia accidisse narrat Aristæas, Demetrius, nisi jam vita privatus, saltem in custodiam conjectus erat.

Neque

Neque etiam libellus iſte, quem Demetrius Phalereus regi Ptolemæo obtuliſſe dicitur, ſatis convenire videtur philoſopho gentili. Ita enim in epiſtola iſta de libris Hebræorum ſacris loquitur, ut facile intelligi poſſit, auctorem hujus epiſtolæ fuiſſe hominem Judaicis ſacris addictum, nequaquam vero gentilem. Tantam enim horum librorum prodit reverentiam, ut ne dubitet quidem addere, *divinitus* eos eſſe ſcriptos. Id quod Demetrius, qui, quod lingua hebraica ipſi plane erat ignota, libros hos ne legere quidem potuerat, nullo modo dicere potuit. Itaque nemo facile credere poteſt, philoſophum hunc Athenienſem tanto horum librorum ſtudio fuiſſe abreptum, ut regi ſuaſerit, legatos mittere ad pontificem Hieroſolymitanum, & hujus verſionis cauſa tantos facere ſumtus.

Quod autem attinet ad ea, quæ Ariſtæas de rege Ptolemæo ipſo tradidit, facile poteſt intelligi, ea omnia a Judæo, patriis moribus dedito, eſſe conficta, atque plane abhorrere a perſona regis Aegypti. Nam ſi ea omnia eſſent vera, quæ apud Ariſtæam leguntur, Ptolemæus rex, id quod nemo unquam contendere auſus eſt, non gentilis, ſed Judæus habendus eſſet. Quis enim perſuaderi ſibi patiatur, regem, precibus Ariſtææ, veri Dei nomi-

nomine ipſum obſecrantis, ita eſſe motum, ut decem myriades captivorum illico liberos mitteret? Quaſi hæc res fuiſſet ne quidem digna, de qua amicos conſuleret rex, addidit auctor iſtius fabulæ, regem ſub menſa, bene exhilaratum, amicis ne quidem adhibitis, & in conſilium convocatis, conſtituiſſe, precibus iſtis obſequi. Quæ conſilia de rebus tantis, ſi Ptolemæus temere, inter epulas iniiſſet, ſane omnium regum imprudentiſſimus fuiſſet. Idem quoque de ſumtibus a rege, Judæorum e captivitate & ſervitute redimendorum cauſa factis, dicendum videtur.

Mirum ſane eſſet, regem, ab inſtitutis Moſaicis plane alienum, qui libros Judæorum ſacros ne cognoviſſet quidem, tantos feciſſe ſumtus, eo conſilio, ut a Judæis, quibus periculoſiſſimum fuiſſet, regi, quod petiiſſet, denegare, libros eorum ſacros cum interpretibus idoneis impetraret. Hæc autem regis liberalitas, ex Ariſtææ ſententia, fuit tanta, ut rex, vel omnium, in toto orbe terrarum ditiſſimus, atque librorum conquirendorum avidiſſimus, propter illos libros tantos ſumtus facere dubitaverit. Nemo, niſi cæca credulitate feratur, credere poterit, regem, veræ religionis expertem, qui a cultu Jehovæ eſſet alienus, reverentia veri Dei ductum atque

que motum, tanta liberalitate, tantisque beneficiis Judæos ornaſſe & cumulaſſe, uti quidēm Ariſtæas narrat.

Epiſtola autem, quam rex ad Eleazarum ſcripſiſſe fingitur, ſatis prodit auctorem Judæum, nequaquam regem gentilem. Ut prætereamus ſilentio, quod jam alii monuerunt, litteras Demetrii, Ptolemæi & Eleazari una eademque dicendi ratione ſ. ſtylo eſſe ſcriptas, ad quod Iſaacus Voſſius reſpondit; ſcriptores non ſolere ipſa verba ad unguem exhibere; de epiſtolæ hujus argumento, ab homine gentili plane abhorrente, pauca tantummodo dicamus. Rex in ea ita de libris Hebræorum verba facit, ut fere credas, eum de inſpiratione eorum divina, de cultu veri Dei atque divina auctoritate Moſis fuiſſe certum. Mentione enim facta de liberatione Judæorum captivorum, rex dicit, ſe velle libros eorum ſacros, hebraica lingua ſcriptos, in græcam transverſos, in bibliotheca ſua, una cum aliis libris reponere; qua quidem re magnam ſibi acceſſuram gloriam. Se igitur petere ab illo pontifice, ut electi e ſingula tribu ſeni viri, ætate provecti, legis atque utriusque linguæ periti, ſibi mitterentnr. Num vero rex diſciplinæ Moſaicæ expers, atque, uti omnes Aegyptii, idololatra, tantam

tam gloriam hac librorum Hebræorum versione sibi accessuram speraverit? Eadem difficultate laborant, quæ de duodecim tribubus gentis Israeliticæ, e quibus singulis, rex senos sibi viros mitti postulat, dicuntur. Isto enim tempore, cum Israelitæ secessionem fecerant a Judæis, quomodo e singula tribu seni ad regem mitti potuerunt? Nam post reditum e Babylonia, Judæi Israelitis ita erant invisi & infesti, tantoquc odio exacerbati, ut in ista animorum dissensione, res fuisset Pontifici difficillima, interpretes, e singula tribu electos, librorum sacrorum causa, ad regem mittere. Haud igitur temerarii judicis esse videtur, ea omnia, quæ de septuaginta duobus interpretibus, e singulis tribubus electis traduntur in Aristææ libello, rejicere & spernere.

Quod autem nomina istorum virorum singula ab auctore illo adjecta sunt, id factum est, quo verisimiliora reliqua omnia viderentur. Neque res potuit esse difficilis, nomina fingere, in re plane ficta.

Ejusmodi quoque sunt ea, quæ de Ptolemæi pietate et reverentia veri Dei, qua rex motus omnem hanc rem suscepisse dicitur, ab auctore isto incerto traduntur. Ea omnia redolent vanitatem & jactantiam Judaicam.

Rex

Rex enim iste sacris gentilium addictus, & religionis divinæ, a Mose traditæ, plane ignarus, libros Hebræorum sacros, quos ne legerat quidem, tanto honore nullo modo excipere potuisse videtur; quanto quidem id factum esse, jactator iste Judaicus prædicat. Iam vero libri isti, si quidem fidem habeas Aristææ, regi tanta veneratione digni esse videbantur, ut rex septies προσκυνησας magnas legatis gratias ageret, sed majores eis, a quibus essent missi, & maximas Deo, cujus hæc essent oracula. Quæ omnia, si e moribus regum Aegyptiorum dijudicantur, atque spectantur, non solum mira, sed incredibilia plane, atque ficta esse videntur. Illud enim genus reverentiæ & observantiæ regibus quidem deferebatur; nunquam autem a rege hominibus privatis, vel amicissimis atque conjunctissimis, habitum esse legimus. Deinde rex ipse loquens inducitur ab Aristæa, ita, ut ipse fere hos libros sacros coluisse videatur. Id quod nullo modo cum historiæ monumentis conciliari potest, immo ne cum Aristææ narratione ipsa quidem. Is enim ipse dicit, regem fuisse harum rerum plane ignarum, adeoque primum a Demetrio edoctum, Hebræis esse libros sacros, quos judicaret dignos, qui in græcam linguam translati, in bibliotheca regia reconderentur. Quis itaque persuaderi sibi

pati-

patiatur, regem gentilem libros ſacros gentis Judaicæ, ab omnibus fere ſpretæ & contemtæ, tanquam oracula divina eſſe veneratum! Rex autem, Ariſtæa teſte, admiratione horum librorum ita captus eſt, ut gaudio plenus lacrymas effunderet, atque hunc diem per totam vitam ſibi ſolemnem fore prædicaret. Quæ, ſi vel reliqua omnia bene cohærerent, atque convenirent in regem gentilem, ſola graviſſimam nobis dubitationem de veritate totius hujus rei injicerent. Fieri enim non potuit, ut rex, diſciplina Moſaica nunquam inſtitutus, ita caperetur ſanctitate & veneratione horum librorum, ut tam honorifice de his libris, eorumque auctore ſtatueret, adeoque, quo teſtatior eſſet hujus rei memoria, diem hunc perpetuo ſolemnem eſſe juberet. Hæc plane abſunt a moribus Ptolemæi Philadelphi, aliorumque regum Aegyptiorum, atque produnt ingenium Judaicum. Id quod inprimis e quæſtionibus illis, a rege legatis propoſitis, intelligitur. Qnæ autem de epulis regiis, quibus interpretes excepti dicuntur, narrat, inſtitutis Aegyptiacis repugnare videntur: id enim nefas habebatur, ex moribus Aegyptiorum & Judæorum, uti patet e Geneſ. 43, 32.

Ea omnia igitur ſunt ita comparata, ut, ſi quis modo legerit, ſtatim ſentiat, ea eſſe

nata

nata e jactantia Judaica: adeoque non est, quod multis in his rebus immoremur.

Ex his omnibus facile intelligitur, auctorem istius epistolæ ad Philocratem, fuisse neque gentilem, disciplinæ Mosaicæ expertem, neque legatum regium, ad Eleazarum Pontificem Judæorum missum; sed Judæum, patriis institutis deditissimum. Multa enim in narratione Aristææ ipsa reperiuntur, etsi non plane falsa, saltem non verisimilia, quæ produnt scriptorem Judæum, qui, mira hacce narratione, sanctitatem librorum illorum & divinam eorum auctoritatem, quovis modo, stabilire & confirmare constituit. Aristæus quidem prædicat, se gentilem regi Ptolemæo dedisse consilium, de Judæis liberandis, redimendisque, adeoque fuisse inter legatos; sed quomodo tale consilium amico regio, a Mosaica religione alieno in mentem venire potuit? Indignus fuisset, cui rex consilia sua crederet, atqne temerarius, si tantos sumtus regi suasisset, horum librorum comparandorum causa; cum libri isti, lingua ipsi plane ignota scripti, nunquam essent ab eo lecti, ut adeo de origine eorum divina, atque præstantia, judicare non posset. Sed totus libellus, qui nomen Aristææ præ se fert, facile prodit auctorem, doctrina Mosaica formatum & institutum.

tutum. Nam præter genus ſcribendi atque omnem orationem Judæo, nequaquam gentili philoſopho, convenientem; laudes gentis Judaicæ, quam ſolam reliquos omnes populos, idololatriæ & ſuperſtitioni deditos, juſta ſcientia rerum divinarum, atque cultu vere divino, longe ſuperare docet, ita prædicat, ut quisque facile ſentiat, ea omnia non a gentili, ſed Judæo eſſe ſcripta.

Ut enim hoc unum afferamus, Ariſtæas in libro iſto, ſæpe laudato, ita expoſuit de templo Hieroſolymitano, de rebus ſacris per ſacerdotes procurandis, atque aliis ad cultum divinum, ex præſcripto Moſis, pertinentibus, ut nemo, niſi Judæus, diſciplinæ patriæ peritiſſimus, ea omnia tanta diligentia & induſtria deſcribere potuerit. Quo magis autem commendet præſtantiam legum Moſaicarum, Eleazarum, ſummum pontificem inducit diſſerentem de præceptis in lege Moſaica traditis, eorumque ſenſu & præſtantia, de impuritate & ſtultitia idololatriæ, & quæ hujus generis ſunt reliqua. Quid vero? Num Ariſtæas gentilis, qualis tamen videri voluit, ea, quanquam ex perſona pontificis Judæorum, referre aut potuerit, aut voluerit? Inde igitur intelligitur, Ariſtæam, ſi quidem unquam fuerit in aula regia, non gentilem,

lem, ſed Judæum fuiſſe. Regem autem Ptolemæum conſilia Judæorum, licet eorum opera in rebus publicis adminiſtrandis uſus fuerit, tanti feciſſe, ut in eorum gratiam tantam pecuniæ vim profunderet, & legationem publice delegaret, credere, animum inducere non poſſumus. Nemo enim veterum ſcriptorum profanorum ullam de his rebus fecit mentionem. Verum enim vero, ſi rex hanc rem tanti feciſſet, quanti Ariſtæas dicit, ſine dubio alii quoque ſcriptores, & quidem iſtis temporibus ipſis, quibus tantum opus eſſet perfectum, de miro hoc regis ſtudio atque amore in libros Hebræorum ſacros, quædam memoriæ mandaſſent. Ex his igitur intelligimus, Ariſtæam neque fuiſſe gentilem, qualem ſe ipſe prædicat, neque legatum regis ad Eleazarum miſſum; ſed Judæum, qui longo tempore poſt, ut gentis ſuæ laudes celebraret, hunc librum, pia fraude, quam vocant, compoſuerit. Si vero Ariſtæas, tempore Ptolemæi Philadelphi, ſcripſiſſet hanc epiſtolam, Jeſus Siracides, qui tempore Ptolemæi Evergetæ in Aegyptum venit, de hac re ſine dubio quædam attuliſſet. Non enim facile quis exiſtimaverit, Ieſum Siracidem ita ignoraſſe res, a gente ſua geſtas, ut hiſtoria iſta, de origine verſionis græcæ librorum ſacrorum, ſi quidem iſto tempore quisquam de ea quid audiviſſet, ipſum

ipſum, legis Moſaicæ peritiſſimum, plane fugeret. Quodſi ejus ætate Judæi Alexandrini easdem origines verſioni Alexandrinæ tribuiſſent, quas Ariſtæas: aut interpretibus ipſis inſpirationem divinam, uti Philo, adſcripſiſſent; profecto quædam de his rebus prologo libri ſui addidiſſet. In eo enim paucis diſſerit de magna cautione, in vertendo ex hebraica lingua in græcam, adhibenda, atque veniam rogat a lectoribus, ſi quando videatur vim quorundam verborum hebraicorum interpretando non ſatis aſſecutus eſſe. Difficillimum enim eſſe, ſenſum verborum hebraicorum in lingua græca penitus aſſequi; idem quoque accidiſſe interpretibus librorum ſacrorum, qui vel ipſi, a ſenſu verborum hebraicorum, in verſione ſua græca, ſæpius diſceſſerint. Non facile credimus, huncce ſcriptorem de græca verſione ea ſcribere auſum fuiſſe, ſi hiſtoriam Ariſtææ, de origine hujus verſionis, cognoviſſet, aut veram habuiſſet. Cum enim interpretes iſti diris eum devoviſſent, ſecundum Ariſtæam, qui unquam auſus fuiſſet, detrahendo, vel transferendo, quidquam in opere illo adulterare; in ſummum odium civium ſuorum incidiſſet verbis iſtis, ſi quidem vera eſſent, quæ tradidit iſte Epiſtolæ auctor. Inde igitur colligimus, hanc epiſtolam, tempore Ptolemæi Evergetæ, ſive ætate Ieſu Siracidis, nondum

fuiſſe

fuisse scriptam. Antequam vero dicimus, quomodo fabula ista, de origine versionis græcæ, enata esse nobis videatur, breviter ea afferamus, quæ Josephus de ea re retulit.

Flavius Josephus, qui hanc Aristææ fabulam in Antiqq. Judd. l. XII. c. 2. repetit, dicit, Aristæam regi Ptolemæo inprimis amicum et gratum ob modestiam; sed Judæis, nec genere, nec natione, propinquum, petiisse a rege liberationem Judæorum, & quidem eo nomine, quod omnes essent opificium Dei, qui beneficiis delectaretur. Deinde reliqua omnia, quæ pertinent ad originem hujus versionis, ita refert, uti leguntur in Epistola Aristææ, nisi quod ab eo discedat in constituendo pretio redemtionis, pro singulo captivo, a rege soluto. Aristæas enim dicit, regem, pro singulis corporibus, vicenas drachmas solvisse, atque ita ultra quadringenta talenta impendisse. Josephus vero docet, CXX drachmas pro singulo esse datas. Neque tamen rationes juste confecit: nam cum ista pecuniæ summa longe major esse deberet, nihilominus, uti Aristæas tradiderat, sumtus illos quadringentorum talentorum fuisse adjecit. Quodsi Josephus numerum vicenarum drachmarum immutavit propterea, ut ita efficeret pondus triginta siclorum, quod ex instituto Mosaico pro singu-

ſingulo ſervo erat ſolvendum; e præcipitantia et feſtinatione factum eſſe videtur, ut mutationis factæ immemor, rationes non juſte ſubduceret. Si vero alius quidam Joſephum interpolaverit, eadem forſitan ex cauſa; non adeo mirum eſt, talem errorem in rationibus conficiendis eſſe commiſſum. Joſephus igitur eadem tradidit, quæ Ariſtæas. Id quod nemini mirum eſſe poteſt, quod in omni hac relatione auctoritatem iſtius Ariſtææ ſecutus eſt. Magna quidem cum oſtentatione jactat Antiqq. Judd. l. VIII. c. 2. quanta fide ſcripſerit hiſtoriam gentis ſuæ, atque diſerte prædicat, ſe velle lectores pro comperto habere, ſibi in animo fuiſſe, nihil præter veritatem dicere, atque ſe, certis indiciis, demonſtrare poſſe veritatem omnium rerum, quas tradidiſſet: num vero hæc jactantia tanti nobis videri debeat, ut nullo modo de veritate earum rerum, quas de Ariſtæa retulit, dubitare nobis liceat, facile poterit dijudicari, cum omnia, quæ de græca verſione tradidit, ex ipſo Ariſtææ libro depromta ſint; uti facile patet, ſi Ariſtæam cum Joſephi narratione ipſe contuleris. Nam ex iis, quæ Joſephus de Ariſtæa narrat, neceſſario colligitur, eum fuiſſe omnium philoſophorum, quorum quidem memoria ad noſtra tempora pervenit, ſapientiſſimum, qui Socratem, Platonem et reliquos omnes ſapientia et re-

rum divinarum intelligentia longe ſuperaret; aut, uti veritati magis convenit, Judæum, qui, ut genti atque legi ſuæ majorem auctoritatem conciliaret et dignitatem, atque omnem de fide ſua dubitandi cauſam præcideret; ſe gentilem, præſtantia et ſapientia illorum librorum captum profiteretur. Neminem autem latere poteſt, Judæos ſæpius pia fraude uſos, vel vanitatis cauſa, fabulas confinxiſſe, quibus demonſtrarent, quam inſigni benignitate, quantisque beneficiis a Deo eſſent ornati. Ita Joſephus, qui tanta jactantia fidem hiſtoriæ ſuæ laudat, non dubitavit, illam de Alexandro M. Jadduam, ſummum pontificem, venerante, fabulam, reliquis ſcriptoribus plane ignotam, referre Archæol. l. XI. c. 8. Non eſt itaque, quod Joſephi auctoritate quis utatur ad fidem Ariſtææ, quem Joſephus diligenter ſecutus eſt, confirmandam et ſtabiliendam.

Is enim Judæus, ut patriis legibus atque cultui divino, a Moſe tradito, majorem conciliaret apud exteros auctoritatem & gloriam; quæ de origine ſancta & divina hujus verſionis a popularibus ſuis tradebantur, afferre, & ſuis laudibus ornare, non dubitavit.

Quæ vero Philo l. II. de vita Moſis p. 658 edit. Francofurt. a. 1691. de hac translatione

tione memoriæ prodidit, longe discedunt ab epistola Aristææ & relatione Josephi. Quæ de hac re retulit, hæc fere sunt. Ptolemæus Philadelphus, inquit Philo, captus nostræ legis (της νομοθεσιας ημων) amore & desiderio, legem in græcam linguam transferendam curavit; legatis de ea re missis ad Judæorum pontificem, qui peterent, ut legis interpretes mitteret regi. Pontifex igitur doctissimos ex Hebræis, præter patrias litteras, græcis quoque eruditos misit, qui leges divinitus acceptas interpretarentur. Qui interpretes, a rege benignissime excepti & epulis regiis adhibiti, sapientia illa, qua ad omnes a rege propositas quæstiones responderant, ita ei se probarunt, ut horum virorum doctrinam divinam admiraretur. Ut opus ipsum, ad quod conficiendum missi fuerant, eo facilius perficerent, in insulam Pharum, ab omni strepitu atque tumultu urbano, remotam deducti sunt. Ibi interpretationem librorum sacrorum, numine divino correpti, ita composuerunt, ut non alii alia, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam singulis dictante, scriberent. Nam ita exacte convenerunt interpretes in reddendis singulis vocabulis, ut interpretatio unius ejusdemque hominis opus esse videretur. Cujus rei memoria, quo diutius servaretur, Judæi & Aegyptii Judaizantes annuum

festum,

festum, quo Deo gratias agerent, quod ipsis tantum exhibuisset beneficium, in insula Pharo ad littus, sub tentoriis, instituerunt.

Multa igitur, quæ fidem Aristææ incertam reddunt, & infringunt, a Philone silentio sunt prætermissa, sed alia addita reperiuntur, quæ absunt ab Aristæa. Quæ enim supra jam attulimus de Aristæa ipso, regi amico & grato, de Demetrio Phalereo, auctore hujus rei & suasore, de redemtione Judæorum captivorum, de sumtibus in hanc rem factis, de ingentibus illis donis in templo Hierosolymitano offerendis & dicandis, de codice aureis litteris scripto, de numero LXX Interpretum; ea omnia apud Philonem sunt omissa: id quod fortuito factum esse non videtur. Nam, si Philo ea traditione patria accepisset, non est, quod dubitemus, eum consilio & data opera hæc omnia haud neglecturum fuisse. Nam alia quoque addit, quæ apud Aristæam non leguntur. Ita docet, singulum interpretem singulam versionem, tam parum ab alterius translatione discrepantem, scripsisse, ut hoc opus, quasi quopiam dictante, a singulo interprete peractum videretur. Cujus inspirationis divinæ memoria, ut perpetuo recoleretur, festum illud solemne esse institutum in insula Pharo. Quæ diversitas non casu aut fortuito repe-

reperiri videtur. Quid enim impedivisset Philonem, quominus eadem omnia referret, si ea accepisset fama & traditione? Illa enim non propterea omisisse videri potest, quod ipsi visa fuerint fide non satis digna, aut nimis miraculosa: nam qui fieri potuisset, ut hæc enarraret haud minus insolita & mira? Hinc igitur colligi posse videtur, vel illam epistolam Aristææ, Philonis tempore nondum fuisse scriptam & evulgatam; vel ignotam penitus, nec unquam a Philone visam. Philonis ingenium non abhorrebat ab ejusmodi figmentis, quale hoc est. Si unquam epistolam illam vidisset, eam procul dubio esset secutus, saltem de ea mentionem fecisset. Quod cum nullibi ab eo factum esse constat, necesse est, eum ne fama quidem quidquam hujus rei accepisse.

Ne autem temere de his rebus judicasse videamur, addenda nobis videntur, quæ Christiani scriptores ecclesiastici, Iustinus Martyr, Irenæus, Eusebius, Epiphanius de his rebus memoriæ prodiderunt.

Iustinus Martyr in Cohortatione ad gentes non solum contendit, hanc versionem jussu & auctoritate regis Ptolemæi esse factam, sed auget quoque atque exornat hanc traditionem novis miraculis. Refert itaque, quod ne Aristæas quidem tradiderat, istos LXXII inter-

interpretes singulos singulis cellis fuisse conclusos, & singulis singulum servum a rege fuisse datum, qui non solum illis præsto esset, & appareret, sed curaret quoque, ne alter cum altero de versione ipsa colloqueretur. LXXII exempla totius legis inter istos interpretes fuisse distributa, ut adeo quisque sine ope & consilio alterius versionem suam conscripserit. Nihilo secius totum opus ab iis singulis ita esse perfectum, ut ne minima quidem reperiretur discrepantia, sed verbum verbo responderet. Qua re regem esse motum, ut divinum in hoc interpretum consensu miraculum agnosceret & veneraretur. Et ut rei fidem adderet, adjecit, se ipsum vidisse & spectasse Alexandriæ has cellulas, in quibus seclusi fuissent isti vi divina instructi, interpretes. Ipse enim addit: hæc non ut fabulam, neque ut confictam historiam renuntiamus, sed qui ipsi Alexandriæ fuimus, & vestigia domunculorum apud Pharum adhuc reliqua vidimus; & ab incolis, qui res patrias a majoribus sibi traditas acceperunt, audivimus, ea commemoramus. Ipse igitur vidit vestigia cellularum, in quibus, e traditione vulgi, seclusi fuisse interpretes dicebantur. Quam incerta autem & fluxa sit vulgi traditio, non solum in rebus antiquis et priscis, memoriæ posterorum traditis, sed vel adeo in iis, quæ in re-

centi

centi omnium ſunt memoria, nemo eſt, qui ignoret. Nam fabulæ aniles tanta fiducia vulgo traduntur, ut, ſi iis fidem habueris, quævis inde demonſtrare queas. Ita facile fieri potuit, ut Iuſtino, qui ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, medio fere, hæc veſtigigia domunculorum ſpectabat; quorundam ædificiorum rudera pro veſtigiis iſtarum cellularum venditarentur. Nam iſto tempore plerisque Judæis Alexandrinis fabula, de miraculoſa origine verſionis græcæ, erat nota; hinc mirum eſſe non poteſt, quod monſtraverint quoque locum, quo hæc translatio facta eſſe diceretur. Ceterum non videtur ſilentio prætereundum eſſe, quod idem Iuſtinus in Apologia I. (Edit. Thalemanni p. 28. § 38) tradidit. Ptolemæum regem Aegypti miſiſſe legatos ad Herodem, regem Judæorum, ut ſibi mitterentur libri prophetarum. Herodem igitur ei miſiſſe illos libros hebraica lingua ſcriptos. Quos, cum Aegyptii, litterarum hebraicarum ignari, non intelligerent, regem denuo per legatos petiiſſe ab Herode, ut delegaret viros peritos, qui hebraica transferrent in græcam linguam. Quapropter fuerunt, qui putarent, libros Veteris Teſtamenti propheticos & Pſalmos, ſub Herode rege demum, translatos in græcum idioma fuiſſe, ut Franciſcus Junius, & Samuel Petitus.

Juſti-

Justinum vero non solum de libris propheticis, sed de toto librorum sacrorum codice locutum esse, ex toto isto loco facile intelligitur. Ne igitur Justinum pudendi Παραχρονισμȣ accusemus, placet Thalemanni conjectura, vocem Ηρωδης post βασιλευς, esse nævum librariorum, vel eam ex margine irrepsisse. Nam Pontifex quoque rex dici poterat.

Jam ex his intelligitur, Justinum non solum Aristæam, sed Philonem quoque esse secutum, atque ex utriusque traditione omnem historiam suam de hac re confinxisse. Qui cum apud scriptores christianos plurimum auctoritate valeret, reliqui quoque scriptores ecclesiastici, qui de hac re mentionem fecerunt, ipsum sunt secuti, & fabulam hanc, ut fieri solet, exornarunt novis commentis.

Justinum deinde secutus est Irenæus, qui libro III. contra hæreses, Eusebio in histor. ecclesiast. l. V. c. 8 teste, de hac re ita exposuit: Cum Macedones adhuc Asiam tenerent, Ptolemæus, Lagi filius bibliothecam, quam Alexandriæ exstruxerat, omnium gentium libris, quotquot lectu digni essent, exornare contendens, petiit ab Hierosolymitanis, ut ipsorum libros sacros, in græcum sermonem translatos, sibi mitterent. At illi,

quos

qnos habebant ſacrarum litterarum & utriusque linguæ peritiſſimos, ſeptuaginta ſeniores, ad Ptolemæum miſerunt, ejus voluntati ſatisfacturos. Ptolemæus, cum ſingulorum ſeorſim periculum facere vellet, veritus, ne forte dedita opera veritatem ſcripturæ interpretatione ſua occultarent, ſecluſos a ſe invicem, eandem omnes ſcripturam interpretari juſſit: idque in omnibus libris fecit.

Poſtea, cum omnes ſimul conveniſſent apud Ptolemæum, ac verſiones ſuas inter ſe contuliſſent; laudes Dei ſunt celebratæ, atque ſcripturas has vere divinas eſſe, compertum eſt. Quippe omnes cuncta, a capite ad calcem, iisdem dictionibus ac vocabulis expreſſerant; adeo, ut ipſi, qui aderant, gentiles, afflatu divino converſas eſſe ſcripturas, agnoſcerent.

Hæc refert Euſebius, loco citato, ex Irenæo. Irenæus igitur, omiſſis iis, quæ in Ariſtæa de ſumtibus iſtis ingentibus, de liberatione captivorum Judæorum leguntur; veſtigia Iuſtini premit atque Philonis, & *θεοπνευσιαν* iſtorum interpretum confirmat. Nam cum Apoſtoli & Jeſus ipſe loca Veteris Teſtamenti, e verſione græca, allegaſſent, quod ea ſumma apud Judæos iſtorum temporum florebat

bat auctoritate; primis rei Christianæ seculis piaculum fere esse videbatur, de divina inspiratione interpretum græcorum dubitare. Interpretes quidem, uti Justinus docuerat, separatos atque seclusos in singulis cellulis libros sacros transtulisse, asserere non dubitavit, sed non conatus est, novis miraculis rem exornare.

His addenda visa sunt, quæ Eusebius, Pamphili amicus, Cæsareæ Episcopus de hac re commemoravit. Permultis locis, verum obiter tantum, de versione Alexandrina disserit Eusebius; quæ quidem singula proferre, alienum foret ab instituto nostro: itaque quædam tantummodo afferamus.

In Demonstrat. Evangel. l. VIII. p. 393. c. Edit. Coloniens. hæc leguntur: post Oniam suscepit principatum (inter Judæos) pontifex Eleazarus, sub quo LXX viri, divinas interpretati sunt scripturas, easque in Alexandrinis bibliothecis reposuerunt. Locus classicus autem de hac interpretatione apud Eusebium est in Præparat. Evangel. l. VIII. c. 1-5. ubi omnem istam historiam ex Aristæa repetit. Aristæum dicit fuisse virum inprimis eruditum, qui rebus Ptolemæi secundi, cognomento Philadelphi, gestis interfuerit, quo regnante & magno cum studio curante, sacra Judæorum monu-

monumenta, græce translata, & in bibliotheca Alexandrina reposita sint. Hujus auctoritatem secutus omnem rem ita enarrat, uti descripta est ab Aristæa, adeoque apud eundem Eusebium epistolæ illæ Demetrii ad regem, regis ad Eleazarum, & Eleazari ad Ptolemæum ita leguntur, uti sunt apud Aristæam atque Josephum. Cum autem nulla in re discesserit ab Aristæa, non est, quod pluribus in eo immoremur. Ceterum sæpius laudat Aristobuli librum, ad Philometorem Ptolemæum scriptum, in quo ille græcam versionem, Ptolemæi Philadelphi imperio factam, commemorat, atque de interpretatione librorum sacrorum exponit. Is igitur Aristobulus, Hebræus philosophus, Peripateticorum scholæ addictus, apud Eusebium in Præparat. Evangel. l. XIII. c. 12. p. 664, dicit: Regis Ptolemæi Philadelphi tempore integram totius legis interpretationem, Demetrio Phalereo totum negotium moderante, esse confectam.

Idem quoque philosophus, teste Eusebio in præp. Evang. l. VII. c. 13. Ptolemæo Philadelpho ipsi interpretationem legum sacrarum attribuit. Ex quibus omnibus intelligitur, Eusebium non dubitasse de fide Aristææ historica, eumque consensisse cum plerisque Christianis primorum seculorum in eam sententiam:

tiam: græcam verſionem Alexandriæ, juſſu & auctoritate Ptolemæi Philadelphi, Demetrio Phalereo totum negotium curante & moderante, a peritis harum rerum, atque eruditis Judæis eſſe conſcriptam.

Supereſt igitur, ut quædam adhuc addantur de Epiphanio, qui in libro *de menſuris & ponderibus* de hac interpretatione nova quædam attulit. Is enim, pro ingenio ſuo, ornavit atque perfecit hanc fabulam, ut hominibus eo facilius ejus admirationem injiceret. Quod nemo ante ipſum excogitare conatus fuerat, tradidit, interpretes LXXII cellulis XXXVI ſecluſos, ut ſingula binos contineret, omnes Veteris Teſtamenti libros ita eſſe interpretatos, ut ſcribæ, qui verba velociſſime exciperet, ſive ταχυγραφω, verſionem græcam ſcribendam dictitarent. Unum illis, addit, tantummodo fuiſſe codicem hebræum, at diſſectum, inter illos diviſum, ut, ſi pars quædam codicis ſacri a binis interpretibus fuiſſet translata, ea in alteram cellulam, ut ibi quoque græce verteretur, eſſet miſſa. Ita totum codicem a ſingulis binis interpretibus eſſe verſum.

Ne vero interpretes inter ſe colloquerentur, rex conſtituiſſe dicitur, ut ſingulum par ſingulo navigio quotidie ex inſula Pharo Alexan-

Alexandriam trajiceretur, ut omnes ibi apparerent regi. Toto tandem opere perfecto & absoluto, cunctorum versiones publice, foribus apertis, esse prælectas, easque ita inter se consensisse, ut omnes obstupefacti in hac re divinum miraculum adorarent, & rex veri Dei majestatem & vim veneraretur. Cunctos enim numine divino ita fuisse correptos & inspiratos, ut quisque verbum eodem verbo redderet, ita, ut ne minima quidem discrepantia in istis XXXVI interpretationibus reperiretur. Ex his omnibus facile est intellectu, Epiphanium ea, quæ vulgo de hac interpretatione tradebantur; quæque, uti patet ex iis, quæ jam enarravimus, tam varia & diversa erant, ut, quid esset verum, nec ne, quod omnia fere sibi repugnabant, difficile esset dijudicare; in formam systematis quasi redigere constituisse. Conciliavit itaque inter se narrationem Aristææ, Philonis & Justini, istis XXXVI cellulis, ut omnis hæc historia verisimilior & certior esse videretur, pro more suo excogitatis.

Neque mirum esse potest cuiquam, Epiphanium talia confinxisse, cum summa esset hujus versionis auctoritas, tum apud Judæos, tum apud Christianos priorum seculorum. Judæos Aegyptiacos eam magno in pretio habuisse,

buiſſe, eaque adeo eſſe uſos in publicis conventibus ſacris, patet ex iis, quæ Philo de ea verſione dixit.

Cum enim Aegyptii ignorarent hebraica, græca hæc interpretatio in ſynagogis eorum ſine dubio eſt recepta. Quod autem Judæi majorum ſuorum res geſtas ſummis laudibus celebrare, & ſanctitatem gentis ſuæ ubique jactare ſolebant, excogitarunt tandem miracula iſta divina, quæ Philo & Ariſtæas poſteritati tradiderunt. Inde ab initio Alexandrini Judæi, læti, quod tandem libros ſacros græca lingua, qua vulgo utebantur, legere poterant, Dei laudes hoc nomine celebrarunt, magnum id, uti re vera erat, beneficium Dei reputantes. Paulatim tandem, ut beneficium hoc Dei in majus extollerent; nova, uti ſæpius uſu venit, miracula addiderunt, quæ docerent magnitudinem & vim benignitatis divinæ in gentem ſuam. Quorum beneficiorum, & miraculorum memoria ut ſervaretur perpetuo, annua ſacra inſtituerunt, quibus, in inſula Pharo, tentoriis poſitis, Deo læti agerent gratias. Quæ ſacra dum celebrabantur quotannis, patres filiis enarrarunt, quomodo tandem eſſet factum, ut græce legerent libros divinos, & quæ eſſet horum ſacrorum cauſa & ratio. Ita facile potuit fieri, ut illa antiqua tradi-

tio

tio novis commentis & miraculis augeretur, ita, ut tandem plerisque Judæis esset persuasum, hanc versionem non sine interventu numinis divini esse factam. Huc præterea accedebat, quod Alexandrini Judæi popularibus suis in Palæstina degentibus, qui quidem utebantur lege hebraice scripta, de cujus revelatione divina quam maxime gloriabantur, cedere, iisque inferiores esse nolebant. Propterea igitur non dubitarunt, fabulas istas de græcorum suorum librorum origine divina & inspiratione interpretum procudere, ut docerent, libros suos græcos non minus esse divinos, quam illos hebraicos, de quibus Palæstinæi Judæi tantopere gloriabantur. Ut docerent, auctores græcæ versionis prophetis ipsis esse æquiparandos, atque majorem dignitatem græcis his libris conciliarent apud populares suos, qui, ne omni institutione rerum divinarum, procul a patria, inter Aegyptios, idololatras, degentes, essent expertes; eo ardentiore studio, ad animos moresque justa pietate & probitate formandos atque emendandos, his libris uterentur, quo certius ipsis esset persuasum de origine divina græcæ interpretationis: miracula ista de consensu interpretum divino, de veneratione illa libris suis a rege exhibita, & quæ sunt reliqua, excogitarunt, & novis fabulis exornarunt. Quæ fabulæ cum

fama

fama & traditione ubique essent sparsæ & dissseminatæ, ita tandem sunt auctæ, ut Alexandrini Judæi haud dubitarent, iis fidem habere. Ita factum est, ut Philo, quæ ipsi vera & certa videbantur, ea traderet in libris suis. Quæ apud Philonem leguntur, videntur petita esse, uti jam Eichhorn V. Cl. (im Repertorium für biblische und morgenländische Litteratur T. 1.) docuit, e traditione Alexandrina, quæ eo certior & firmior ei esse videbatur, quo magis confirmabatur festo illo solemni in insula Pharo celebrato. Quod nisi Philonis tempore fuisset celebratum a Judæis, memoriæ græcæ versionis recolendæ causa, vix a Philone commemorari potuisse videtur.

Nam Philo Judæus ita ignarus rerum ad gentem suam pertinentium, ut hocce sacrum cum alio commutaret, fuisse non facile existimandus est. Ceterum fieri quidem potuit, ut illud festum inde ab initio longe aliam haberet originem, sed versus tempora Philonis a Judæis-Alexandrinis interpretationi græcæ dicaretur. Id quod sæpius vel in ecclesia christiana ipsa accidisse, nemo, qui in origines dierum sacrorum apud Christianos inquisiverit, facile negaverit.

Cum vero Alexandrini Judæi interpretationem græcam tanti facerent, atque usus lin-

guæ

guæ hebraicæ in Palæſtina ipſa tandem interiret; Palæſtinæi ipſi quoque eam græcam translationem recepiſſe, eaque publice uſi eſſe videntur. Quod niſi eſſet factum, quomodo fieri potuiſſet, ut Apoſtoli loca ſcripturæ ſacræ e verſione Alexandrina, uti cuique patet, qui iſta loca in Novo Teſtamento allegata cum Alexandrinis contulerit, ſæpius citarent? Igitur auctoritas librorum illorum græcorum tanta apud Palæſtinæos Judæos fuit, ut nemo dubitaret, interpretes hos græcos ſequi. Nam græca lingua inde a temporibus Alexandri Magni Judæis ita erat familiaris, & cognita, ut nemo fere eſſet, qui eam ignoraret. Quodſi igitur libri iſti græce facti tranſierunt ad Palæſtinæos, traditio illa Alexandrina ipſa, de qua Philo expoſuit, iis quoque innotuit.

Hinc conjectura illa, quam Eichhorn V. Cl. protulit, auctorem epiſtolæ, quæ nomen Ariſtææ præ ſe fert, Judæum quendam Palæſtinæum fuiſſe, nemini quidem improbabilis videri poterit. Nam ſunt in ea epiſtola multa, quæ produnt auctorem Palæſtinæum; quoniam in ea deſcriptio Hieroſolymorum, templi & omnium rerum ſacrarum accuratiſſima legitur, nulla omnino templi Oniæ mentione facta. Uti vero in traditionibus incertis & fluxis fieri ſolet, ita quoque illa Alexandrina tra-

ditio a Palæſtinæis Judæis facile potuit augeri & immutari. Quam varie autem rerum geſtarum veritas fabulis & traditione ſæpius ſit obſcurata, nemo poteſt ignorare. Judæi itaque Palæſtinæi ipſi multa addidiſſe & immutaſſe videntur in fabula iſta inter Alexandrinos ſatis nota. Scripſit tandem quidam Judæus, ſive paulo ante Chriſti tempora, ſive paulo poſt; nam certi quidquam definire in tali re vix licet; librum de origine divina verſionis Alexandrinæ, eique majoris auctoritatis & fidei conciliandæ cauſa, impoſuit nomen Ariſtææ. Neque id abhorret a more iſtorum temporum. Aegyptii enim, atque Chriſtiani ipſi paulo poſt, ſæpius fraude pia uſi, libros ſcripſere ſuppoſititios, quibus opiniones ſuas ſpargerent. Sic ſacerdotes Aegyptii haud dubitarunt libros ſuos Hermeti Trismegiſto, aliisque viris, antiquitate & rerum geſtarum fama claris tribuere. Ita enim ſperabant, fore, ut, quæ ipſi excogitaſſent, aliis facilius probarentur, quoniam antiquitatis auctoritas plurimum valere videbatur. Qua fraude excitati Judæi ipſi auſi ſunt libros ſuppoſititios interdum aliis auctoribus adſcribere, ut ita gloriam gentis ſuæ extollerent. Philo autem librum hunc Ariſtææ, uti dicitur, ignorabat, quod ſive in Palæſtina, ſive paulo ante illud tempus, quo ipſe librum illum de vita Moſis lit-

litteris consignabat, scriptus erat. Qua re factum videtur, ut longe alia traderet ipse, quippe Alexandrinam traditionem secutus, quam tradidisset Pseudo-Aristæas, qui e traditione Palæstinæa scripserat. Aristæam deinde secutus est Josephus. Eum traditionem illam Aristææ veram habuisse, neque omnino, præter captivorum pretium redemtionis a rege constitutum, uti supra est dictum, ab Aristæa discessisse, apparet. Nam cum Pseudo-Aristæus, uti videtur, in Palæstina scripsisset, Josephum Hierosolymitanum, qui Pharisæorum hæresin sectabatur, traditio illa fugere non facile potuit. Philo contra Alexandrinus hanc traditionem, Palæstinæis notam plane ignorabat, quod vel ejus tempore nondum erat scripta, vel non nisi Palæstinæis nota. Nam isto tempore commercium litterarum erat difficile & coarctatum. Judæi igitur tempore Philonis atque Josephi plurimi fecerunt hanc versionem, atque tempore Philonis memoriam istorum interpretum celebrarunt die solemni, de quo Philo mentionem fecit.

Primi Christiani itaque, cum plerique essent e Judæis, eodem honore exceperunt græcam translationem, & quidem eo lubentius, quod Christus nunquam eam reprehenderat, atque Apostoli ipsi ea fuerant usi. Quæ

apud

apud Judæos de origine ejus miraculoſa & divina ferebantur, ita ſe probarunt Chriſtianis, pro more iſtorum ſeculorum, ut ea ipſa quoque amplecterentur. Mirum nemini adeo eſſe poteſt, ea omnia a Chriſtianis ſcriptoribus eſſe confirmata & novis miraculis aucta, uti conſtat de Juſtino & Epiphanio. Propterea Semlerus V. Ven. *in novis obſervationibus, quibus ſtudioſius illuſtrantur potiora capita religionis chriſtianæ usque ad Conſtantinum M.* Halæ 1784. judicavit, omnem hanc fabulam de LXX Interpretibus eſſe excogitatam & confictam a Chriſtianis e gente Judaica oriundis.

Judæi autem, cum viderent poſt Hieroſolyma everſa, multos e ſuis, ope hujus verſionis ad chriſtianam religionem amplectendam adduci, deſierunt tantis laudibus eam efferre, quantis eam antiquiores celebraverant. Odio nominis chriſtiani ducti, tandem diem illum feſtum, Philonis tempore celebratum, ut invidiam excitarent interpretationi Alexandrinæ, mutarunt in jejunium ſive Angariam. Auſi enim ſunt illum diem, quo eſſet confecta verſio, tanquam luctuoſisſimum, quo Deus triduanas tenebras univerſo humano generi indixerit, notare. Quod Judæorum odium eo magis eſt auctum, quo plures e gente Judaica Chriſto dederunt nomen.

Docto-

Doctores contra christiani, cum plerique essent hebraicarum litterarum expertes, non solum perpetuo utebantur versione Alexandrina; sed eam summis quoque laudibus efferebant. Cum enim ex ea contra Judæos demonstrarent, Jesum esse verum Messiam, atque Judæi ipsi auctoritate hujus versionis se premi intelligerent, nefas esse videbatur apud Christianos, de miraculosa ejus origine, quippe a Philone; cujus libri cupide ab ipsis legebantur, quod allegorica ejus interpretandi ratio eis sese probaverat; tradita, dubitationis aliquid proferre. Uti vero Judæi abjecte de versione Alexandrina sentiebant, invidiæ caussa; ita quoque Christiani, qui libros sacros hebraice scriptos, litterarum hebraicarum isto tempore penitus ignari, nec interpretari, nec legere quidem poterant; auctoritatem ejus divinam quovis modo defendere conabantur. Partium studio abrepti eandem illi auctoritatem tribuere haud veriti sunt, quam Judæi libris hebraicis ipsis. Primus tandem inter Christianos, qui hoc superstitionis genus impugnaret, fuit Hieronymus. Nam Judæi sæpius criminabantur Christianos, quod corrupissent scripturam sacram græce factam, ut ita docerent veritatem doctrinæ suæ. Qua criminatione motus Hieronymus linguam hebraicam a Judæis didicit, ut non solum recte judica-

dica-

dicaret de vitiis græcæ verſionis, ejusque interpolationibus, quas Judæi Chriſtianis crimini dare ſolebant, ſed ut ipſe quoque verſionem hebræorum librorum conficeret. Qua de cauſa hæc verba apud Hieronymum in Præfatione in librum Eſaiæ leguntur. "Scit Chri-"ſtus, me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditi-"one deſudaſſe, ne Judæi de falſitate ſcriptu-„rarum eccleſiis ejus diutius inſultarent." Ipſe quidem hanc translationem, auctoritate eccleſiæ chriſtianæ confirmatam, non ita impugnavit, ut eam interpolatam & corruptam eſſe argueret; ſed noluit, eam æquiparari, aut adeo præferri hebraico textui. Iſtos enim fuiſſe interpretes, non vates, eos interpretatos tantum eſſe libros ſacros, nequaquam vero prophetaſſe, contendit. Inde ab ejus temporibus igitur auctoritas ejus imminui cœpit.

Nihilo ſecius tamen multi e doctoribus eccleſiæ antiquæ, auctoritatem antiquorum ſecuti, Hieronymi ſententiam reprobarunt atque traditionem illam de θεοπνευςια ſeptuaginta Interpretum, cæca fide ducti, ignari linguæ hebraicæ, tanquam certam & firmam receperunt. Ita Auguſtinus haud dubitavit, originem divinam verſioni Alexandrinæ tribuere; quem deinde, uti in aliis rebus ad doctrinam chriſtianam pertinentibus, multi ſunt ſecuti.

Idem

Idem quoque ſtatuerunt græcæ eccleſiæ doctores, qui plerique omnes inſpirationem divinam verſionis hujus agnoverunt.

Increſcente deinde litterarum bonarum & omnis eruditionis ignorantia & contemtu, nemo de fide Ariſtææ & totius fabulæ dubitare eſt auſus. Traditio enim iſta, antiquitatis remotiſſimæ ſpeciem præ ſe ferens, omnibus ita videbatur eſſe certa, & ſancta quaſi, ut, cum ars critica ubique terrarum negligeretur, nemo facile reperiretur audax ſatis, qui hanc opinionem, tot ſeculorum auctoritate confirmatam, impugnaret. Primus tandem, qui ſeculo XVI. medio fere, reſtaurato bonarum litterarum ſtudio, conatus eſt dubitare de veritate traditionis iſtius, & de fide Ariſtææ; fuit Ludovicus Vives: cui quidem epiſtola, quæ Ariſtææ nomen præ ſe fert, a recentiore aliquo, forſan Judæo, conficta videbatur. Hunc deinde plures ſunt ſecuti, uti Joſephus Juſtus Scaligerus, Richardus Simonius, & multi alii, quorum fere principes ſunt Humphredus Hodius, qui præter librum adverſus hiſtoriam Ariſtææ conſcriptum, & Oxoniæ 1686 editum, ab Iſaaco Voſſio laceſſitus, ſcripſit quatuor libros de bibliorum textibus originalibus, verſionibus græcis & latina vulgata, Oxoniæ 1705; & Antonius van Dalen in diſſertatione

ſuper

ſuper Ariſtæa de LXX interpretibus, Amſtelodami 1705 edita. Humphredus Hodius igitur docuit, verſionem LXX viralem a Judæis Alexandrinis, neque regis Ptolemæi juſſu, neque curante Demetrio Phalereo, ut in bibliotheca Alexandrina reponeretur, ſed in uſum Judæorum Alexandrinorum eſſe factam. Omnes illas fabulas de numero interpretum, de eorum cellulis & θεοπνευσια, eſſe ſpernendas & contemnendas. Neque ſingulos libros ab iisdem auctoribus & eadem ætate eſſe verſos, ſed diverſis interpretibus & diverſis temporibus. Fabulam autem Ariſtææ ipſam a Judæo quodam eſſe confectam, ut ita laudes gentis ſuæ & beneficia a Deo ipſi exhibita augeret, & verſioni græcæ majorem conciliaret auctoritatem.

Iſaacus Voſſius contra acerrime pugnavit pro auctoritate Ariſtææ, & Philonis, & divina inſpiratione interpretum Alexandrinorum. Is igitur, cum interpretes iſti divino numine fuiſſent afflati, verſionem eorum græcam non ſolum æquiparandam, ſed præferendam adeo eſſe hebraico textui, quippe a Judæis, odio in Chriſtianos incenſis, corrupto & interpolato exiſtimavit. Ita non ſolum fabulas, quæ de hac verſione apud antiquos ſcriptores leguntur, ſecutus eſt, ſed auxit eas quoque novis fabulis atque commentis.

tis. Ex ejus ſententia LXX illi interpretes Pentateuchum tantummodo intra LXXII dies verterunt; ſed liberalitate Ptolemæi regis & rei æquitate moti, ad regem reverſi, reliquos quoque libros transtulerunt in græcam linguam; non tamen omnes ſimul, ſed ſigillatim unus aut pauci. Hinc Iudæi nunquam, ita pergit Voſſius, auſi ſunt in Pentateucho, qui ab univerſo interpretum cætu translatus fuerat, quidquam mutare. Pluribus de hac re expoſuit Voſſius in diſſertt. de translatione LXX interpretum, Hagæ Comitum 1661.

Multi quidem viri docti inde ex eo tempore de Alexandrina verſione, ejusque originibus ſcripſere; plerique tamen omnes in ſententiam Humphredi Hodii fere tranſierunt. Cum vero a conſilio noſtro alienum eſt, ea omnia, quæ a viris doctis de interpretibus iſtis ſcripta ſunt, recenſere; Strothii ſententiam tantummodo ſubjungamus. Is igitur monuit, (in ſeinen Beyträgen zur Kritic der LXX aus Juſtin dem Märtyrer, im Repertor. T. II.), plurimas fuiſſe librorum ſacrorum græcas verſiones, a pluribus, nobis vero ignotis, interpretibus factas, quibus uterentur Judæi Aegyptiaci. Cum vero tandem Ptolemæus, ſive Philadelphus, ſive alius e Ptolemæorum familia, rex Aegypti poſtulaſſet a Judæis, ut ſibi

tra-

traderent libros ſacros græce verſos, quos in bibliotheca Alexandrina reponeret; Judæos, rei criticæ peritos & publica auctoritate inſtructos & ornatos, collectis illis antiquioribus omnibus librorum ſacrorum verſionibus, iisque collatis cum textu hebraico ipſo & emendatis, compoſuiſſe interpretationem, qua publice uterentur in conventibus ſacris. Hanc igitur recenſionem interpretum græcorum, primum ab Alexandrinis Judæis, deinde vero a reliquis quoque publice eſſe receptam.

Sed liceat quoque, quæ de origine verſionis Alexandrinæ mihi videntur, paucis adjicere, ut, ſi erravero, meliora edocear a peritis atque æquis harum rerum judicibus. Quæ juſto ordine ut tradantur, primum quærendum videtur, quonam tempore, & cujus auctoritate græca verſio ſeptuaginta interpretum ſit compoſita; deinde, quinam fuerint illi interpretes, qui libros Hebræorum ſacros in græcam linguam transtulerint; dein, ubi verſio ſit confecta; quinam libri ſint translati: quales fuerint codices, quibus interpretes uterentur; denique, num verſio, quæ nobis ſuper eſt, ſit ea ipſa, quam veteres deſcribunt; & tandem, unde nomen ſeptuaginta interpretum acceperit.

Ut

Ut igitur intelligatur, quonam tempore, & cujus auctoritate hæc translatio confecta sit, paucis ea sunt repetenda, quæ pertinent ad populi Israelitici, sub imperio Ptolemæi primi & secundi, historiam, & inprimis Judæorum Alexandrinorum, in quorum usum & gratiam hæc versio facta est.

Ptolemæus Lagi filius, Judæam, quæ Alexandro Magno miti atque benigno usa fuerat victore, Laomedonti Mitylenio, præfecto Alexandri M., cui Syria & Phænicia, cum Judæa, cesserat, armis & vi eripuit. Urbe Hierosolyma die sabbati, quo quidem Judæi religiosiores armis sese defendere dubitabant expugnata, multa millia Judæorum in Aegyptum traducta sunt. Quorum fide in reges suos cognita, eodem jure eos habuit Ptolemæus, quo Macedones. Magna itaque libertate, multisque immunitatibus in Aegypto sunt usi.

Qua regis benignitate est factum, ut ingens Judæorum numerus paulatim in Aegyptum transiret, Alexandriam sese conferret, & magnam illius urbis partem occuparet. Ibi non solum libertate mercaturæ exercendæ, cui Judæi hoc tempore sese jam dederant, quæque illis erat concessa, ut urbs illa divitiis locupletaretur, atque incolarum numerus de die in diem augeretur, fruebantur, sed licebat

bat illis quoque religionem ſuam libere profiteri, atque verum Deum ex lege Moſaica, inſtitutisque patriis, juſta pietate colere. Sacrificia quidem ex lege divina, hac in urbe Deo non ſunt oblata a Judæis, quippe quibus non niſi in templo Hieroſolymitano hoſtias cædere & immolare licitum erat; attamen, cum ingens eſſet Alexandriæ veri Dei cultorum multitudo, loca ſacra, in quibus prælegeretur lex Moſaica, atque populo explicaretur, frequentaſſe videntur. Nam inde a reditu Judæorum e Babylonia mos ille invaluerat, ut primum in locis publicis, ſub dio, deinde in ædibus ſacris publice libri divini populo congregato, a ſacerdotibus, Levitis aliisque Iſraelitis prælegerentur & explicarentur: unde Synagogarum, quas dicebant, origo deducenda eſſe videtur. Jam cum plures eſſent Alexandriæ ſynagogæ, ob ingentem Judæorum in ea urbe numerum, inde ab initio libri ſacri, hebræo idiomate ſcripti, publice lecti & explicati ſunt. Sed Judæi in Aegypto verſantes paulatim deſierunt patria ſua lingua uti, atque, ſicut reliqui incolæ Alexandrini, Græci genere, græce ſunt loquuti. Quamvis multi patriam linguam adhuc tenebant, eam tamen facile, ob quotidianum uſum græcæ linguæ, negligebant. Ut igitur illi Aegyptii Judæi libros ſuos divinos intelligerent, neceſ-

ſe fuit, græce explicari, quæ hebraice eſſent ſcripta. Ita factum eſſe videtur, ut, cum populus Judaicus jam propterea reliquis gentibus innotuiſſet, quod eſſet ſolus inter omnes populos, qui peculiari ratione, multis ceremoniis atque ritibus ſacris, non quidem multos Deos, ut omnes fere gentes reliquæ, ſed unum Deum, creatorem & rectorem totius orbis terrarum coleret & adoraret; & reliquis Alexandrinis doctrina Judæorum de uno Deo, ejusque colendi ratione, libris ſacris deſcripta, paulatim traderetur. Num vero philoſophi Alexandrini hanc unius Dei colendi rationem, qua Judæi inſignes erant, plane neglexiſſe & ſpreviſſe videantur? Fuere autem jam Ptolemæi Lagi temporibus plures philoſophi Alexandriæ. Is enim non ſolum bibliothecam illam illuſtrem Alexandrinam inſtituerat, ſed multos quoque philoſophos, græcos inprimis, arceſſerat, quos ſumtibus ſuis, vere regiis, alebat. Inter quos Demetrius Phalereus, Athenienſis, patria pulſus præcipue inclaruit. Qui, cum in Aegypto didiciſſet, qua ratione ſingulari Judæi unum Deum colerent; & cognoviſſet, doctrinam eorum publicam contineri libris eorum ſacris, hebræa lingua ſcriptis; regi, qui undique ſapientum ſcripta & monumenta conquirebat, verſionis horum librorum faciendæ conſilium dediſſe, videtur.

Quod

Quod institutum Judæis Alexandrinis eo magis placuisse existimandum est, quo ipsis esset utilius. Nam cum Judæorum ingens esset numerus Alexandriæ, & plerique lingua græca uterentur, versio græca librorum sacrorum, quos publice prælegebant, & justa religione colebant, ipsis grata & accepta esse debebat, ut omnes eo facilius libros hos intelligerent. Cum vero res gravis & difficilis est, tot libros, quot quidem codex Hebræorum sacer continet, in aliam linguam ita transferre, ut sensus neque immutetur, neque corrumpatur; mirum adeo nemini videri potest, quod plures anni sint præterlapsi, antequam opus tam grave & impeditum perficeretur. Deinde nemo est, qui ignoret, quanta religione Judæi libros suos sacros coluerint. Propterea libri hebræi tanta festinatione & celeritate, qua quidem his nostris temporibus libri ex altera lingua in alteram transferuntur, in græcam linguam translati esse nequaquam videri possunt. Cum vero hæc versio non tam in usum regis & philosophorum, qui Alexandriæ commorabantur, quam ea de causa est composita, ut Judæi Alexandrini ea in conventibus sacris uterentur; summa cura & cautione interpretes opus illud perfecisse, facile intelligi potest. His enim temporibus Judæi religiosiores rebus suis sacris ita studebant, ut vix ve-

verisimile esse videatur, eos versionem librorum sacrorum temere, intra paucos dies confectam, tanti fecisse, quanti Aegyptii Judæi hanc, quam dicunt LXX viralem, re vera æstimarunt, Res enim erat gravis & sacra, cum religione ipsa arctissime conjuncta. Neque est, quod quis objiciat dissensum hujus græcæ versionis a textu hebraico. Negari quidem non potest, magnum esse dissensum Alexandrinorum a lectione textus hebraici recepta; de cujus caussis doctissime exposuit V. Ven. Knappius in disputatione inaugurali de Versione Alexandrina in emendanda lectione exempli hebraici caute adhibenda, Halæ 1775; sed nec ab uno interprete, nec eodem tempore, nec ex iisdem legibus omnes veteris Testamenti libri in græcam linguam conversi sunt; ut ille monuit §. 4. Hoc tempore Ptolemæi Philadelphi non nisi Pentateuchus, de qua re deinde pluribus, græce factus esse videtur. Nam longe alia ratio est interpretationis Pentateuchi, quam reliquorum librorum fere omnium.

Cum itaque Demetrius Phalereus, uti videtur, * regi Ptolemæo primo consuluisset, ut libros Hebræorum sacros in græcam linguam transferri curaret, atque hoc consilium Judæis ipsis placuisset, quippe utile & huic

genti

genti gloriosum; ob rei ipsius difficultatem & gravitatem intra paucos menses opus hoc absolvi non potuisse videtur. Sine dubio quoque plures Judæi eruditi de ratione hujus versionis conficiendæ sunt consulti. Ita facile fieri potuit, ut res de die in diem duceretur, neque Ptolemæo Lagi filio imperante perficeretur; quod siue aliæ curæ vel regem, vel Demetrium impedirent, siue Judæi de hac re nova & inusitatâ diutius cogitarent, neque haberent, quid consilii caperent. Mortuo tandem Ptolemæo Sotere, filius ejus Philadelphus, qui amore & studio litterarum patri non solum erat par, sed ipsum adeo superabat; rem a patre inchoatam perficere constituit. Is non solum bibliothecam Alexandrinam, a patre constitutam, auxit, sed viros doctos, undique arcessitos, summa beneficentia & munificentia excepit atque ornavit. Neque neglexisse videtur illud Demetrii, de versione librorum Hebræorum curanda, consilium Ptolemæo patri datum. Nam in Judæos benignitate & benevolentia summa est usus, ita, ut sub ejus imperio securitate & libertate fruerentur, atque ita ei essent dediti, ut quovis modo ipsi obsequi studerent. A primoribus igitur Judæorum cum versionem græcam sacri eorum codicis postulasset, principes illi lubenter hoc negotium in se susceperunt, ut regi

non

non ſolum verſionem librorum ſuorum traderent, ſed eam quoque auctoritate publica Synedrii magni Hieroſolymitani confirmatam, adeoque omni fide dignam exhiberent. Neque tamen veriſimile videtur, Alexandrinos Judæos ſolos verſionem hanc librorum ſacrorum curaſſe, ne diſcordiæ & inimicitiæ inter Palæſtinæos & Aegyptios Judæos orirentur. Hinc itaque petiiſſe videntur Alexandrini iſti Judæi ab illo Synedrio magno non ſolum poteſtatem & libertatem ſacri codicis in græcam linguam transferendi, ſed ſimul interpretes utriusque linguæ peritiſſimos, qui tum diſciplinam Moſaicam bene tenerent, tum idonei eſſent, qui hebraica in græcam linguam transferrent, quorum opera in hac re tam gravi & ſacra, uterentur. Qui quidem neque feſtinanter, neque temere, uti in rebus hujusmodi ſæpe fieri ſolet, operam ſuam in libris ſacris vertendis collocarunt, ſed ſumma cura, diligentia & fide rem ipſis demandatam peregerunt.

De anno ipſo, quo ſit compoſita hæc verſio, magna fuit inter eruditos diſputatio. Iſaacus Voſſius exiſtimavit, eam factam eſſe extremo biennio Ptolemæi Lagi, quo tempore ſimul cum Philadelpho filio regnabat, & quo Eleazarus pontificatum adeptus erat, vivente etiamnum Demetrio Phalereo. Alii

vero plerique ſeptimum Philadelphi annum, uti Uſſerius, conſtituunt. Sed cum res omnis tot fabulis ſit impedita, operæ vix pretium eſſe videtur, de anno, qui certo definiri haud facile poteſt, multa diſputare. Ceterum ex iis, quæ jam ſupra ſunt de Demetrio Phalereo dicta, colligi poſſe videtur, hanc interpretationem poſt mortem demum Demetrii, anno fere ſeptimo Ptolemæi, eſſe confectam. Neque mirum videri poteſt, aliquot annos præteriiſſe, antequam verſio iſta græca perficeretur, cum Judæi procul dubio diu dubitarent, utrum pietati, qua libros ſuos ſacros colebant, conveniret, hos hebraicos libros græca lingua divulgari. Conſtat enim inter omnes, quantopere Judæi averſati ſint omnem doctrinam & eruditionem gentilium, quam quidem adverſari putabant religioni ſuæ divinæ. Putabant enim, uti etiamnunc interdum repeririuntur homines formidoloſi atque anxii, litterarum græcarum & latinarum ſcilicet expertes, qui metuant, ne ſtudium harum litterarum, quippe gentilium & hominum profanorum, animum chriſtianum corrumpat atque peſſumdet; puritatem & ſanctitatem doctrinæ ſuæ pollui & maculari litteris græcis. Propterea quoque Joſephus ipſe, ſcriptor ille Judaicus, in multorum invidiam incidit, quod litteris Græcorum inſtitutus & cultus erat. Hinc facile fie-

ri

ri potuit, ut non nisi post plures annos versio illa perficeretur, quam Demetrius Phalereus Ptolemæo Lagi suasisset curandam. Neque hæc opinio plane nova & inusitata cuiquam videri poterit. Perizonius enim jam hanc hypothesin ad Aeliani Varr. Histt. III, 17 attulit, eamque firmavit traditione illa Judæorum, Demetrium Phalereum, qui quidem jam inde ab initio regni Philadelphi, aula expulsus, in vincula conjectus erat, huic Philadelpho auctorem exstitisse Alexandrinæ versionis curandæ. Quæ Judæorum traditio docet, ex illius Perizonii sententia, Demetrium merito primum auctorem, suasoremque hujus operis suscipiendi, esse habendum: eum vero consilium hoc non dedisse sub imperio Philadelphi, cujus jussu in vincula erat conjectus, teste Diogene Laertio; sed Ptolemæo patre, seu Sotere, adhuc regnante. Quanta autem apud hunc gratia valuerit, nemo est, qui ignoret. Quamquam itaque Philadelphus rex Demetrium odio habebat, eumque ad mortem usque in vinculis tenebat, consilium tamen magni hujus viri de versione librorum Hebræorum conficienda, patri datum non modo non sprevit atque abjecit; sed fecit tanti, ut ipse hac græca interpretatione bibliothecam Alexandrinam augeri & ornari curaret. Cum igitur rex a Judæis Alexandrinis libros divinos græce ver-

versos sibi exhiberi postulasset, Demetrio Phalereo auctore; principes Judæorum Alexandrinorum effecerunt, ut libri isti hebraici græce verterentur, tum ut in Synagogis prælegerentur Judæis linguæ hebrææ ignaris, tum ut voluntati regis obsequerentur. Quæ versio cum esset confecta, Pontifici summo tradita esse videtur, ut eam, si quid in ea esset reprehendendum & vituperandum, emendaret; aut si secus esset res, auctoritate sua publica confirmaret. Tandem libri sacri ipsi a Judæis græce versi & auctoritate pontificis & Synedrii instructi & ornati, regi Ptolemæo sunt traditi, qui eos, pro miro illo studio conquirendorum omnis generis librorum, quo flagrabat, in bibliotheca regia Alexandriæ reposuit.

Qui autem fuerint isti interpretes, quotnam viri juncto labore & studio opus hoc grande susceperint, cum Aristææ fides nimis incerta & dubia videtur, difficile est dictu. Aristæas quidem singula nomina interpretum, quos contendit e singula tribu electos ad regem missos esse, memoriæ prodidit; sed omnis hæc relatio nimis redolet jactantiam Judaicam. Eos igitur a rege Ptolemæo Philadelpho Alexandriam arcessitos, sumtibus regiis, in insula Pharo, uno eodemque tempore, intra septuaginta dies libros Hebræorum sacros græce vertisse, atque vi divina actos ita

in-

inter se consensisse, ut nullum omnino inter tot virorum interpretationes discrimen deprehenderetur, ut credamus, traditio ista Judaica, qua quidem omnis hæc res nititur, non satis certa, & nimis dubia esse videtur. Interpretes illi, si quidem licet in re tam dubia quidquam definire, auctoritate publica, cum consensu pontificis & Synedrii Hierosolymitani, in usum Alexandrinorum Judæorum, jubentibus ita eorundem primoribus, sacros libros in græcam linguam transtulerunt. Sed eorum nomina, numerum, dignitatem, cum in Aristææ narratione nimis multa ficta & fabulosa reperiuntur, enumerare, nimis temerarium foret. E traditione illa tamen hoc jure colligi potest, Alexandrinos Judæos ipsos petiisse a Synedrio, quod erat Hierosolymis constitutum, viros idoneos & peritos, qui tali operi essent pares. Eos autem fuisse viros doctos, græcæ æque ac hebraicæ linguæ peritos, nemo erit, qui neget. Id quod satis docet versio Pentateuchi ab illis confecta, quæ sine interiori scientia linguæ hebraicæ & græcæ conscribi nullo modo potuit. Neque quisquam Alexandrinos Judæos coarguerit tantæ temeritatis, qua fuerint ausi, interpretationem librorum sacrorum viris imperitis, qui disciplinam Mosaicam non satis tenerent, concredere. Nam Judæi inde jam ab antiquissimis

tem-

temporibus libros ſuos ſacros ſumma religione & pie colebant, ita, ut ſacrilegii rerum feciſſent eum, qui auſus fuiſſet codicem ſacrum temeraria verſione corrumpere aut polluere. Quodſi hæc conjectura non plane improbabilis viſa fuerit, inde facile poterit intelligi, quomodo enata ſit conſtans illa apud veteres traditio, de interpretibus a rege Hieroſolymis arceſſitis. In illa enim urbe peritiſſimi atque doctiſſimi fuerunt legis interpretes. Sine dubio quoque Hieroſolymitani Alexandrinos graviſſime vituperaturi & impietatis damnaturi fuiſſent, ſi tale quid aggreſſi fuiſſent, ex ſuo arbitrio & conſilio. Ne itaque inciderent in Palæſtinæorum invidiam & odium, a Pontifice ſummo poſtularunt interpretes librorum ſacrorum. Neque erat, quod dubitaret obſequi, in ea re, voluntati & precibus eorum. Pontifex igitur illis ſive miſit interpretes Palæſtinæos, ſive conſtituit viros quosdam eruditos, qui jam verſabantur Alexandriæ, ut voluntati eorum ſatisfacerent. Hi viri igitur non privati, ſed publice a pontifice conſtituti opus hoc magnum aggreſſi, Palæſtinæis æque ac Alexandrinis erant grati, & utrisque videbantur digni, quibus res tanta committeretur. Nam conſtat, hanc verſionem Judæis Palæſtinam inhabitantibus ejusdem fuiſſe venerationis & auctoritatis, qua Alexandrini eam dignam cenſebant.

bant. Ita vero Palæſtinæi vix de ea ſtatuiſſent, niſi interpretes illi fuiſſent ſive a Pontifice ad hanc rem electi & conſtituti, ſive Hieroſolymis ipſis Alexandriam arceſſiti. Neque mirum cuiquam videri poterit, cur pluribus interpretibus demandatum ſit hoc munus. Cum enim hæc res eſſet graviſſima, quæ pertineret ad cultum divinum a majoribus acceptum; digna ſane fuit, quæ fidei non unius, ſed plurium interpretum committeretur. Ita etiam noſtris temporibus fieri ſolet, ut res graviores ad ſalutem publicam & cultum ſacrum pertinentes pluribus rerum peritis ſimul credantur; ne, ſi vel unus erraverit & alter, res publica inde detrimenti quid capiat. Qui interpretes a Pontifice & Synedrio Hieroſolymitano auctoritate publica inſtructi, cum ſatisfeciſſent muneri ſuo, atque interpretationem græcam edidiſſent; facile inde traditio iſta de conſenſu interpretum miraculoſo & divino exiſtere potuit. Quæ autem fama & traditione poſteritati traduntur, plerumque augentur novis commentis & fabulis additis. Neque hæc opinio nova, adeoque invidioſa eſt. Nam Talmudici ipſi in tractatu Sopherim 1. § 7. quinque tantum fuiſſe interpretes, qui græce ſcripſiſſent Ptolemæo legem, contendere haud dubitarunt. Quam Judæorum opinionem Joannes Erneſtus Faber in diſput. I. inſcripta:

Deſcri-

Descriptio Commentarii in septuaginta interpretes, Gottingæ 1768. hac fere ratione cum traditione ista vulgari de LXX interpretibus conciliavit. Alexandrinos quidem LXX viris demandasse munus interpretationis librorum hebræorum curandæ & perficiendæ; sed hos ipsos elegisse quinque viros e medio suo, quibus tradidissent libros Mosaicos græce vertendos. Quorum interpretationem, cum LXX illis viris digna esset visa, quam publice approbarent, ab omni populo Alexandrino justa reverentia receptam, publicam auctoritatem obtinuisse. Deinde eosdem LXX viros elegisse e suis alios viros, qui verterent reliquos libros sacros. Ita igitur esse factum, ut libri omnes tandem a quinis interpretibus in græcam linguam essent translati, sed a LXX istis denominati. Non quidem ausim definire numerum horum interpretum; Talmudici enim & ipsi traditionem aliquam incertam, sicuti antiquiores illi, Pseudo-Aristæas, Josephus & reliqui secuti esse videntur; septuagenarius tamen numerus, nimis magnus, atque, uti deinde dicemus, e causa longe alia ortus esse videtur. Alexandrini igitur Judæi, si quidem conjecturæ locus est in re tam dubia, viris aliquot eruditione & pietate conspicuis munus hoc commiserunt. Qui viri a popularibus atque Pontifice constituti summo studio

dio & diligentia commentarios Mosaicos in græcam linguam transtulerunt. Quod opus, cum esset perfectum & absolutum, Pontifici Hierosolymitano traditum, ejusque & Synedrii magni auctoritate confirmatum & ornatum esse videtur.

Veteres quidem, qui de hac versione mentionem fecerunt, in eo consentiunt, libros sacros in insula Pharo, non procul ab urbe Alexandria sita, in ædibus ab omni strepitu & tumultu remotis, esse in græcam linguam translatos; sed ea omnia, uti plura alia, ornatus causa, quo verisimilior videretur omnis hæc fabula, addita esse, vix dubitamus. Qui enim talia comminiscuntur, plerumque etiam locum, aliaque determinare solent, quo minus de veritate totius rei fictæ dubites. Hinc igitur factum est, ut Judæi, pro more & ingenio suo multa excogitarent de loco, in quo versio conscripta sit, quæ homines in admirationem hujus interpretationis conjicerent. Quæ si fuissent Iesu Siracidis tempore nota, hic scriptor, qui græcam versionem librorum Veteris Testamenti commemoravit, ea omnia silentio præterire haud potuisset. Quæ autem Iustinus & Epiphanius de istis cellulis, quorum ruinas ille ipse se spectasse tradidit in insula Pharo, memoriæ tradiderunt; tantæ fidei nobis esse non possunt, ut eorum narrationem

tan-

tanquam certam & ſanctam ſequamur. Alexandriæ igitur, ubi ingens erat Judæorum multitudo, hæc interpretatio facta eſt, quod non ſolum intelligitur e conſenſu omnium ſcriptorum, qui mentionem hujus rei fecerunt, ſed e dialecto quoque Alexandrina, quæ in Pentateucho inprimis conſpicitur. Interpretes enim, quibus negotium hoc datum eſt, ſine dubio diu, antequam opus hoc ipſum ſuſciperent, inter Alexandrinos verſati erant. Dialectus, qua utebantur Alexandrini, ita eis fuit familiaris, ut ea ipſa in translatione ſua uterentur. Illius ſcribendi rationis, quæ Alexandrinis erat propria, veſtigia reperiuntur inprimis in codice Alexandrino ſive Regio: ſed nonnullæ quoque voces Alexandrinis peculiares inveniuntur in codice Vaticano, ſive Romano. Leguntur apud Alexandrinos interpretes non ſolum vocabula Aegyptiæ originis, quæ ſunt in græcam linguam recepta, uti vocabulum αχι, quod eſt genus herbæ paluſtris Eſ. 19, 7, ſed deprehenduntur quoque conſtructiones plurimæ, a venuſtate orationis græcæ plane alienæ, quibus imitabantur rationem dicendi hebraicam. Præterea quoque pro more Alexandrino ſæpius utuntur epentheſi, ſive litteræ aut ſyllabæ interpoſitione, ita, ut ſcribatur πτολις pro πολις, πτολεμος pro πολεμος, λημψομαι pro ληψομαι; & proſthe-

ſi

si & paragoge, ut dicatur *εων* pro *ων*, *λογοισι* pro *λογοις*, & multa alia hujusmodi, de quibus pluribus egit Breitinger in Prolegomenis ad T. II. versionis LXX Interpretum. E quibus omnibus facile intelligitur, Alexandriam fuisse patriam hujus versionis, quippe in Judæorum Alexandrinorum usum conscriptæ.

Neque etiam omnes libri totius codicis sacri uno eodemque tempore, iisdemque interpretibus in græcam linguam translati esse videntur: quod docet tum traditio ista antiqua Aristææ, Josephi, Philonis, tum generis dicendi diversitas, & orationis & verborum varietas.

Pentateuchus, legem Judæis sacram proprie sic dictam in se continens, primus in græcam linguam translatus est; reliqui autem libri, quo facilius ab omnibus legerentur, paulatim ab aliis interpretibus græce versi videntur. Id quod patet e testimonio Josephi & Philonis Alexandrini. Ille enim non nisi de interpretatione *τȣ νομου*, sive *των νομων* loquitur. Eum vero nomine legis Pentateuchum, nequaquam & reliquos libros Hebræorum sacros, intellexisse, patet ex iis, quæ Archæol. l. XII. c. 2. § 13. addidit: Maxime, inquit, lætatus est rex, recitatis ei legibus, & legislatoris mentem & sapientiam admiratus: itaque cum Demetrio verba facere cœpit, quî fieret, ut,

ut, cum tanta admiratione digna esset ea lex, nullus nec historicorum, nec poetarum ejus meminisset. Si igitur & reliqui fuissent translati, rex sine dubio eorum quoque mentiorum fecisset, cum satis multa in se continerent admiratione regis omnino digna. Vocabulum τȣ νομου apud Josephum autem de libris Mosaicis tantummodo esse intelligendum, intelligitur e prooemio Antiquitatum Judaicarum, ubi diserte dicit: Neque totam scripturam illi (Ptolemæo) accipere contigit, sed legem solam (αλλα μονα τα του νομου) ei tradiderunt, qui ad eam interpretandam missi fuerant Alexandriam. Ita quoque Philo l. 2. de vita Mosis p. 658 edit: Francofurt. a. 1691. legem solam in græcam linguam translatam esse docet. Ptolemæus Philadelphus, inquit Philo, captus nostræ legis amore & desiderio in græcam linguam legem transferendam curavit, legatis missis ad Judæorum Pontificem, qui peterent, ut legis interpretes mitteret regi. Is igitur misit doctissimos ex Hebræis, qui leges divinitus acceptas interpretati sunt. Philo itaque reliquorum librorum, historicorum & qui sunt reliqui, nullam fecit mentionem. Neque legem de toto codice sacro esse intelligendam, ex eo facile patet, quod Ptolemæus, captus amore & desiderio legum Judaicarum, quæ quidem in Pentateu-

tateucho ipſo leguntur, hanc verſionem curaſſe dicitur. Multi igitur viri docti argumentis ſat gravibus docuere, non eosdem fuiſſe interpretes omnibus libris ſacris in græcam linguam translatis. Ita Richardus Simonius diſerte e diverſitate generis ſcribendi & juſtæ in reliquis libris *ακριβειας* defectu colligit, verſionem Pentateuchi eſſe antiquiorem & meliorem verſione librorum reliquorum. Idem quoque Voſſius in Ariſtarcho docet e verſione vel unius vocabuli פסח quod in Pentateucho ſemper vertitur per *πασχα*, in libro II. Paralipomenon vero decies ſepties per *Φασεκ* exprimitur.

Neque ſilentio prætereunda videtur ſententia Jo. Alberti Fabricii in Biblioth. Græc. l. III. c. 11. qui dicit, ſe quidem judicare, illam verſionem librorum ſacrorum antiqui fœderis neque a LXX viris, ſive conjuncto ſtudio & labore, ſive per cellulas diviſis; neque ab uno eodemque auctore, ob nimis diverſam interpretandi rationem, eſſe compoſitam: ſed eam Alexandriæ, a variis, diverſo quidem tempore, non tam in Ptolemæi regis, quam in Judæorum uſum eſſe ſcriptam, ut quæ hebraice, vel e lege, vel e prophetarum ſcriptis recitata eſſent, ſtatim græce explicari poſſent. Id quod jam Hieronymus in Commentario ad Ezechiel XVI. 13. fere docuit. Is enim non dubitat aſſerere, Pentateuchum ſolum ab illis

LXX

LXX interpretibus, Ptolemæo Philadelpho regnante, in græcam linguam translatum, reliquos autem libros ab aliis Judæis eruditis esse græce factos. Ita quidem statuit, quod intellexerat, libros quinque Mosis plus, quam ceteros, cum hebraicis consonare & convenire, uti docuit in Proleg. in Quæst. hebr. in Genesin. Quanta autem sit in græco dicendi genere ipso, in versione LXX virali obvio, dissimilitudo, quæ unum, eundemque iuterpretem istorum librorum vix prodere videtur, facile potest intelligi, si contuleris græcum dicendi genus in Pentateucho cum græcitate reliquorum librorum plerorumque. Nam in eo, uti & in Proverbiis, quod jam monuit Ernesti in Institutione Interpretis N. T. P. II. c. 7. exquisitiora leguntur verba, quæ longius ab hebraismo recedunt; in aliis autem libris hebraicum genus dicendi diligentius servatur. Alii enim liberius verterunt, contenti sensum utcumque expressisse; ut sibi caverent ab hebraismis: alii proprietatem verborum hebraicorum nimis anxie secuti, verba totidem fere græcis expresserunt, & quasi annumerarunt lectoribus, uti docuit V. V. Knappius in dissert. de LXX. Puritate orationis & justa linguæ græcæ scientia reliquos fere omnes superasse judicantur interpretes Pentateuchi & proverbiorum. Nam qui interpretatus est Commentarios Mosai-

ſaicos, peritiſſimus fuit tum linguæ græcæ, tum litterarum hebraicarum, quod facile patet, ſi comparaveris Pentateuchum græcum cum reliquis libris ſacris græce verſis. Is enim interpres non ſolum exquiſitioribus vocabulis græcis utitur, ſed ea ponit quoque locis idoneis, ut interiorem ejus litterarum græcarum & hebraicarum ſcientiam facile deprehendas. Quod autem nihilo ſecius in hoc libro ipſo multa reperiuntur, quæ diſcedunt a lectione noſtra recepta codicis hebræi, id non temeritatem aut feſtinationem interpretis prodit, ſed tribuendum eſt tum emendationibus Origenis, qui ſæpius Alexandrinos ad exemplum hebraicum emendavit, tum codici, quo uſus eſt ille interpres. Nam interpretes iſti ſequebantur quidem recenſionem textus hebraici Hieroſolymitanam: ſed, cum eſſent quoque multi litterarum hebraicarum bene periti inter Alexandrinos Judæos, qui ſua, Alexandrina uterentur recenſione, quæ facile, uti fieri ſolet, ab illa Hieroſolymitana recederet; hanc recenſionem cum illa contuliſſe, atque alteram ex altera interdum emendaſſe videntur. Præterea conſtat quoque, quanta ſæpius reperiatur diverſitas codicum in ſingulis vocibus & lectionibus, quæ neceſſario efficit, ut interpres diſcedat a lectione recepta. Deinde reperiuntur quoque in Pentateucho ipſo loca, in qui-

quibus unum, idemque vocabulum varia ratione eſt translatum. Ita occurrit Geneſ. II. 12 & Num. XI. 7. vocabulum בדלח, pro quo, in loco illo priori legitur ανθραξ, in hoc vero κρυσαλλος. Qua ex diverſitate Henricus Owenius, Anglus, qui nuperrime ſcripſit: A brief account hiſtorical and critical of the Septuagint verſion of the old teſtament. London 1787. docere voluit, non unum, ſed plures fuiſſe interpretes librorum Moſaicorum: quod tamen inde neceſſario vix effici videtur. Nam ſæpe uſu venit, ut interpres diverſa ratione unum idemque vocabulum vertat.

Interpretatio autem vaticiniorum prophetarum longe aliter ſe habet. Interpretes eorum plerique verbum verbo reddiderunt, atque ſæpe longe aberrarunt ab auctoris ſententia. Ita, qui transtulerunt vaticinia prophetarum minorum vel appellativa nomina cum propriis, & hæc cum illis confuderunt. Pſalmorum interpres non ſolum plurimos hebraismos in græcam linguam transtulit, ſed ſæpe ne vim quidem verborum hebraicorum aſſecutus, omnia miſere turbavit. Interpretatio librorum hiſtoricorum, Judicum, Regum, Ruth longe diſcrepat a græca verſione Jobi & prophetarum: neque horum propheticorum librorum una eademque eſt ratio. Ita interpres Ezechielis juſta linguæ græcæ ſcientia longe ſupe-

raſſe

rasse judicatur eum, qui Jesaiæ vaticinia est interpretatus. Quæ tam varia interpretandi ratio satis docet, libros Veteris Testamenti nec ab uno interprete, nec ex iisdem legibus, neque eodem tempore in græcam linguam esse conversos. Postquam igitur Pentateuchus Ptolemæi Philadelphi tempore græce erat versus, paulatim & reliqui libri, ut Alexandrini codice sacro uterentur integro, a variis interpretibus, diverso tempore, translati videntur. Neque tamen in tanta penuria testimoniorum & monumentorum, quibus satis fidei habere possis, tempus ipsum, quo totius veteris Testamenti interpretatio perfecta & absoluta fuerit, definiri potest. Hoc saltem certum & satis firmum videtur, tempore Siracidis, sub imperio Ptolemæi Evergetis hanc interpretationem perfectam fuisse. Nam Siracides ipse in Prologo dicit, se sub Evergeta in Aegyptum venisse, atque reperisse, multa in lege, prophetis, & reliquis libris valde differre a textu hebraico. Necesse igitur est, isto tempore libri omnes, prophetici & qui sunt reliqui, in græcum idioma translati fuerint.

Denique multum est disputatum a viris doctis, cujusmodi fuerit codex, e quo illa interpretatio adornata sit. Alii putarunt Codicem fuisse hebræum, hoc est Chaldaicis litteris scriptum, alii Samaritanum, alii denique hebræum quidem, sed litteris græcis scriptum.

 Philo

Philo diserte dicit, versionem factam esse ex Chaldaico, hoc est hebræo codice: nam post captivitatem Babylonicam Judæi vulgo utebantur charactere Chaldaico sive Assyriaco, eumque permutarant cum antiquis litteris Cananæis, sive Phœniciis, quas plerumque Samaritanas dicere solent. Quibus Samaritanis litteris Moses usus fuisse dicitur. Hinc Alexandrini interpretes, quod eorum ætate hebraica, sive Chaldaica scriptura ab Hebræis adhibebatur, codice hebræis litteris exarato ab Isaaco Vossio, aliisque, qui ejus vestigia secuti sunt, usi fuisse dicuntur. Alii contra contendunt, codicem illum fuisse Samaritanum, charactere antiquissimo scriptum. Nam hanc dicunt esse scripturam apud Hebræos antiquissimis temporibus usitatam. Quæ quidem sententia plurimum adjuvatur consensu, qui intercedit inter Alexandrinos interpretes & Samaritanum Pentateuchum. Nam in multis & exiguis rebus convenit versio græca cum isto Samaritano Pentateucho. De qua re pluribus exposuit Hassencampius in Commentatione de Pentateucho LXX interpretum græco, non ex hebraico, sed Samaritano codice translato. Graffmannus denique, qui edidit υπομνηματα historico-critica ad illustrandam hypothesin de Codd. Ebræo-Græcis Interpretum Græcorum V. T. Halæ 1774. illum codicem græcis litteris scriptum fuisse contendit: Judæos enim soli-

ſolitos fuiſſe hebraicum textum græco charactere exprimere, eumque morem jam invaluiſſe non multo poſt Judæorum in Græciam & Aegyptum emigrationes, duobus vel tribus ſeculis ante Chriſtum natum. Cauſam autem hujus rei fuiſſe ignorantiam linguæ hebrææ. Cum enim Judæi, priſcorum inſtitutorum tenaces, libros ſacros hebraica lingua, etſi pleriſque jam iſto tempore ignota, in conventibus ſacris prælegi voluiſſent; eos, quod non poſſent legere litteras hebraicas, textum hebræum, græcis litteris ſcriptum, hebraice prælegi & græce explicari, ut ab omnibus intelligeretur, juſſiſſe. Interpretes igitur Alexandrinos e codice hebræo-græco libros divinos græce eſſe interpretatos.

Ad hanc opinionem confirmandam provocat ad tempora Origenis. Verum enim vero negari non poteſt, Origenis ætate tales exſtitiſſe codices; nam iſto tempore reperiebantur adeo particulæ verſionis græcæ latinis litteris ſcriptæ: ſed tale genus ſcripturæ jam in uſu fuiſſe tempore Ptolemæi, & illos interpretes græcos tales codices uſurpaſſe, idoneis argumentis demonſtrare, difficillimum eſſe videtur. Is ſcribendi mos longe recentior ſine dubio fuit, & niſi ab Origene ipſo originem traxit, ſaltem paulo ante ejus ætatem invaluiſſe videtur.

Quæ vero Tychſenius V. Cl. in diſputatione de Pentateucho hebræo Samaritano 1765. deinde in Tentamine de variis codicum hebræorum V. T. MSStorum generibus 1772. atque tandem in Apologia hujus libri 1774. de hac re attulit, non plane ſilentio prætereunda eſſe viſa ſunt. Is igitur iſtam relationem Ariſtææ omnem quidem fidem mereri, ſed alio, eoque plane ſingulari modo eſſe intelligendam, cenſet. Non itaque negat, Ptolemæum Philadelphum miſiſſe legatos ad Eleazarum, ut lex Judæorum in bibliotheca Alexandrina reponeretur; ſed contendit, hoc factum eſſe non eo quidem conſilio, ut græca adornaretur translatio, verum ut litteræ hebraicæ in græcas transfunderentur, adeoque, quæ litteris hebraicis eſſent exarata, jam græcis litteris, ſervata lingua hebræa deſcriberentur.

Ex tali igitur exemplari hebræo-græco tandem verſionem græcam eſſe adornatam, ſive juſſu primorum Judæorum Alexandrinorum, ſive ſtudio privato. Ariſtæam itaque nullo modo de translatione ipſa in linguam græcam, ſed de deſcriptione codicum expoſuiſſe. Verba autem, quibus Ariſtæas & Philo in hac re uſi ſunt, *μεταγραφεσθαι*, *εναρμοζεσθαι*, *μεταρμοζεσθαι*, uti apud Talmudicos verbum כתב, de transſcriptione codicum & transformatione litterarum interpretatus, negat omni-

omnino hanc habere vim, ut inde efficiatur, versionem graecam librorum hebraeorum esse compositam. Verum ea verba non modo transscriptionem, sed translationem & interpretationem denotare, innumeris exemplis, apud scriptores graecos obviis, atque inprimis ex omni contextu apud Aristaeam, Philonem & Josephum facile demonstrari potest.

Si enim interpretes isti Codices hebraeos tantummodo transscripsissent, res ipsa nemini potuisset tam mira videri, qualis videbatur Philoni, Josepho & reliquis, qui de hac interpretatione scripserunt. Neque Philo addere potuisset, eos interpretes numine divino correptos librorum sacrorum interpretationem ita composuisse, ut non alii alia, sed cuncti ad verbum eadem, quasi quopiam singulis dictante, scriberent. Praeterea adjecit Philo, loco laudato, de vita Mosis, tantam esse linguae graecae copiam, ut singula fere idea variis multisque verbis enunciari queat, eoque magis admirandum esse illum interpretum consensum. Unde efficitur, ut omittam, quae docte de hac re disputata sunt in Biblioth. Berolinens. T. 34. p. 50 —, Philonem nullo modo de transscriptione litterarum, sed versione librorum hebraeorum in graecam linguam cogitasse. Neque potest intelligi, quomodo fieri potuisset, ut rex talem transscriptionem curaret, cum ea nec ipsi, nec Judaeis fuisset utilis.

Quid?

Quid? si quis librum gallico aut hispanico idiomate scriptum charactere nostro germanico exaratum traderet homini harum linguarum ignaro, num ita peregrinam illam linguam intelligeret? Eadem autem hujus rei videtur esse ratio. Si itaque Judæi hebraica ne quidem legere poterant, multo minus hebraica græcis litteris scripta intellexerunt. Quod autem posteris temporibus codices hebræo-græci & hebræo-latini sunt scripti, huc nullo modo videtur referendum esse. Nam isti codices transscripti sunt in gratiam eorum, qui hebraicam linguam ediscere cupiebant; nequaquam autem in usum Judæorum, qui hac patria sua lingua jam utebantur. Qui quidem mos vel his nostris temporibus interdum obtinet: nam tirones, qui hebraica recte legere & scribere nondum didicerunt, interdum solent in scholis hebraicis verba hebraica latinis litteris exarare, ut eo facilius verba magistri calamo excipiant. Ita etiam priscis jam temporibus fieri potuit: sed Ptolemæo Philadelpho regnante tales codices hebræo-græcos jam repertos esse, inde non efficitur.

Cum autem hypothesis hæc Tychseniana, satis sit oppugnata a viris doctissimis, atque in hoc litterarum genere principibus, Dathio, Michaele, Brunsio & aliis, digna omnino est visa, cujus mentionem injiceremus. Ceterum quanquam Tychsenius multa ad ornatum oratio-

orationis, ſtylo orientalium hyperbolico, hiſtoriæ Ariſtææ intertexta fuiſſe, aſſerere non dubitavit, ne ita quidem dubia illa de fide Ariſtææ ſatis ſoluta eſſe videntur.

Eam verſionem græcam, quæ nobis adhuc ſupereſt, eſſe illam ipſam, quam veteres deſcripſerunt, negavit Jacobus Uſſerius in Syntagmate de LXX interpretum verſione. Is igitur contendit, duas eſſe verſiones LXX interpretum; alteram veram & germanam; alteram ſpuriam & ſuppoſititiam. Veram illam factam eſſe ſub imperio Ptolemæi Philadelphi, & regis juſſu in bibliotheca Alexandrina repoſitam. Eam veram interpretationem ſemper delituiſſe in bibliotheca Alexandrina, neque ab ullo Judæorum lectam aut deſcriptam eſſe, ſed tandem incendio conſumtam. Alteram autem, quam dicit ſpuriam & ſuppoſititiam, paulo poſt annum quartum Ptolemæi Phyſconis Alexandriæ conſcriptam ab omnibus receptam in bibliotheca Cleopatræ repoſitam eſſe. Quam, cum Judæi omnes tanquam veram & genuinam LXX interpretum translationem approbaſſent, perſeveraſſe illibatam & ab omni corruptione puram usque ad noſtra tempora. Hæc quidem Uſſerius protulit, ſed juſtis & certis argumentis nequaquam probavit. Nam cum verſio illa Alexandrina in Judæorum uſum eſſet conſcripta, fieri nullo modo potuit, ut ea e manibus omnium Alexandrinorum extorque-

queretur. Uti enim his noſtris temporibus germanica verſio Lutheri, quæ tot Chriſtianorum manibus teritur, plane deleri aut occultari non poteſt; ita etiam vel potentiſſimus rex ne potuiſſet quidem Judæis eripere libros ſacros græce verſos. Nam publice in ſynagogis prælegebatur verſio græca. Quod autem de deſcrimine interpretationis antiquæ iſtius ab hac, quam ſuppoſititiam vocat, Uſſerius monuit, ejus modi eſt, ut facile appareat, nihil inde jure colligi poſſe. Dicit igitur, illam interpretationem antiquiorem & veram continuiſſe tantum libros Moſaicos, eosque exactiſſime ad textus hebraici veritatem expreſſos: illam autem alteram non ſolum omnes Veteris Teſtamenti libros eſſe complexam, ſed diſcrepare quoque ſummopere a textu hebraico. Procul dubio verſio Ptolemæi Philadelphi tempore confecta Pentateuchum ſolum continebat, uti jam ſupra diximus, ſed cum paulatim & reliqui libri in græcam linguam eſſent converſi, nemini mirum videri poterit, quod & horum librorum translatio a Judæis uſurpata & in rebus ſacris adhibita ſit. Nam, uti jam monuimus, omnes libri ſacri non uno eodemque tempore ſunt translati. Quod autem antiquam illam interpretationem exactisſime ad textus hebraici veritatem expreſſam fuiſſe autumat, nititur teſtimonio Ariſtææ & traditionis incertæ. Judæi enim, ut ita omnibus

bus persuaderent, quanta librorum suorum esset sanctitas, & quantæ venerationis omnibus videri deberet interpretatio græca, conati sunt posteritati tradere fabulam illam de consensu versionis cum textu ipso hebraico, admirando & vere divino. Cum Usserius ea omnia vera & certa habebat, neque conciliare poterat cum versione Alexandrina, qua ipse utebatur, quam quidem multis in locis a codice hebræo longe aberrare judicabat; existimavit, longe aliam fuisse illius versionis, quam antiqui tantis laudibus extulerant, rationem, quam hujus nostræ. Qua de causa eam, contra testimonia totius fere antiquitatis, spuriam judicare ausus est. Nemo enim veterum unquam hujus permutationis ullam mentionem fecerat. Philo Alexandrinus, qui sese fere totum scripturæ sacræ explicandæ dederat, ita, ut nihil fere ipsum latere posset, quod pertineret ad interpretationem Alexandrinam, ejusque origines; neque quidquam de hac duplici librorum sacrorum interpretatione unquam comperit, neque illam priorem & genuinam versionem commemoravit. Non facile autem potest intelligi, quomodo factum sit, si quidem illa conjectura Usserii ullo antiquitatis testimonio niteretur, ut nihil unquam rescierit de hac duplici versione græca. Neque verisimile videtur, eum fuisse tam temerarium, & rerum gentis suæ ita ignarum, ut interpretationes

has,

has, veram & ſuppoſititiam confuderit inter ſe. Traditio illa ipſa, quam ſecutus eſt Ariſtæas & Joſephus docet, verſionem Ptolemæi Philadelphi temporibus confectam Judæis fuiſſe ita gratam & acceptam, ut omnes eam dignam judicarent, qua uterentur in conventibus ſacris. Niſi enim Judæi ipſi eam judicaſſent utilem, fideliſſimam atque dignam, quam publice prælegerent in Synagogis, traditio iſta de imprecationibus in eos, qui ullam unquam immutationem aut depravationem ejus meditaturi eſſent, ita non potuiſſet divulgari, ut Ariſtæas in epiſtola ad Philocratem fratrem eam commemoraret. Is autem ita de hac re verba fecit: "Poſtquam prælecta ſunt „volumina legis, ſtantes ſacerdotes & ſenio„res interpretum ac civium, & principes po„puli Judæorum ita dixerunt: quandoquidem „recte, ſancte & per omnia accurate perfecta „eſt iſta interpretatio, par eſt, ut omnia ita „permaneant, nec ulla fiat immutatio. Omni„bus ad hæc cum approbatione acclamantibus, „juſſit Demetrius, ut more majorum diris de„voverent, quicunque his vel addere vel au„ferre, vel immutare quidquam auderet. „Quod cuncti præſtiterunt, ut ſalva atque in„tegra & inviolata interpretatio illa perpetuo „ſervaretur." Quamvis Ariſtææ fides non ſatis eſt certa, quod ea ipſa nititur incerta traditione; hoc tamen intelligitur ex verbis

iſtis,

ſtis, Judæos tempore Joſephi credidiſſe, verſionem græcam, qua utebantur, non eſſe ſuppoſititiam, ſed eam ipſam, de cujus origine rumores iſti, quos Ariſtæas & Joſephus retulerunt, ferebantur.

Neque ſcriptores chriſtiani, qui de interpretatione hac græca ſcripſerunt, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, & qui ſunt reliqui, hujus permutationis meminerunt. Epiphanius, qui pro ingenio ſuo, traditionem Alexandrinam & Palæſtinæam inter ſe conciliavit, procul dubio de hac interpolatione aut immutatione aliquid adjeciſſet, ſi tale quid unquam fama accepiſſet. Denique Hieronymus, qui primus de origine divina & inſpiratione interpretationis Alexandrinæ dubitare auſus eſt, nunquam eo eſt progreſſus, ut negaret, veram & genuinam verſionem Ptolemæi Philadelphi tempore factam ſupereſſe. Non quidem veritus eſt dubitare de veritate traditionis receptæ a Chriſtianis ætatis ſuæ, de ſeptuaginta auctoribus interpretationis græcæ, & de eorum inſpiratione divina: ſed eam interpretationem, qua ipſe utebatur, diverſam eſſe ab illa antiqua, & ſuppoſititiam, ne verbulo quidem indicavit. Quæ cum ita ſint, non eſt quod dubitemus, nobis omnino eſſe eandem interpretationem reliquam, quam Alexandrini Judæi tempore regis Ptolemæi Philadelphi uſurparunt. Ceterum copioſius egit de hac re

Hen-

Henricus Valesius in epistola ad Jacobum Usserium de versione septuaginta interpretum, quæ est adjecta Eusebii Historiæ Ecclesiasticæ, ab Henrico Valesio editæ.

Una igitur adhuc superest quæstio, quæ ex iis, quæ jam allata sunt, facile solvi posse videtur; unde hæc interpretatio nomen LXX interpretum sortita sit. Qui auctoritatem Pseudo-Aristææ, Josephi, Philonis & reliquorum sequuntur, ab interpretibus ipsis septuaginta duobus nomen των εβδομηκοντα versioni inditum esse contendunt. Quod quidem, cum nititur fide Aristææ dubia, & ipsum incertum atque infirmum esse videtur. Alia igitur caussa & ratio est invenienda, non quidem nova & inusitata, sed antiqua & bene nota. Ita enim jam Jacobus Capellus ad Hebr. III. 8. dicit: "Versio, quæ Ptolemæo Philadelpho „data est, vulgo dicitur LXX seniorum, sed „tropice, quod scilicet facta sit a legatis LXX „viralis Synedrii, quod Hierosolymis erat. „Hos vero legatos fuisse non septuaginta, sed „quinque, discimus ex Talmudis tractatu de „scribis c. l. §. 7." Etsi quidem Talmudis auctoritas tanta nobis haud esse potest, ut audeamus tanta confidentia numerum interpretum definire; verba tamen Capelli ita se nobis probarunt, ut non dubitaremus, cum eo simul tropum in appellatione ipsa agnoscere. Nam quæ de numero interpretum illorum plerum-

rumque afferuntur ex Aristæa, qui vel nomina singulorum recensuit, atque posteritati tradidit; uti omnis illa relatio, incerta esse videntur. Putavimus igitur, id quod jam docuerunt multi viri docti, ex illa appellatione τῶν LXX omnem hanc fabulam ortam esse. Judæi enim plerumque Synedrium nomine LXX seniorum, numero rotundo, appellare solebant, quanquam LXXII viri summum hunc reipublicæ Judaicæ senatum constituebant. Quæcunque igitur auctoritate & consensu hujus senatus publice agebantur, jure illi tributa esse, nemo erit, qui neget. Si itaque, quæ de origine versionis ipsa diximus, veritati non repugnant, dubium esse non potest, quin hæc versio a Synedrio ipso Hierosolymitano publice sit approbata, & auctoritate ejus confirmata, ita, ut Judæis Alexandrinis liceret in conventibus publicis & sacris ea uti, atque Paraschas ex ea recitare. Nomen itaque, quod huic versioni græcæ est inditum, originem duxit ab illo Synedrio, quod LXXII viris constabat, atque valuit ad majorem & indubitatam auctoritatem interpretationi conciliandam. Alexandrini Judæi enim certi esse poterant, libros sacros in græcam linguam translatos neque esse corruptos, neque interpolatos, eosque convenire cum textu ipso hebraico, quem summa reverentia Judæi colebant. Uti autem in multis rebus fieri solet, brevitatis causa,

ver-

versionem auctoritate & consensu Synedrii compositam appellarunt versionem των εβδομηκοντα, scilicet virorum, qui Hierosolymis curam totius reipublicæ Judaicæ gerebant. Paulatim tandem, cum Judæi pia fraude, ut gloriam gentis suæ augerent, atque interpretationi huic θεοπνευσιας laudem tribuerent, fabulam istam, de qua jam satis est dictum, confinxissent; nomen illud των LXX non ad Synedrium, sed ad numerum interpretum retulerunt. Præterea quoque Judæi Alexandrini; si quidem hac in re conjecturis uti licet; omni hac miraculosa & ficta narratione, hoc spectasse videntur, ut doctrinam de uno deo, & justa in eum pietate, philosophis Alexandrinis, atque reliquis gentilibus, litterarum studio excultis, traderent & commendarent. Sic uti enim in Persarum imperio multi Magi & eruditi doctrina hac Judæorum adducebantur, ut unum colerent deum, auctorem & moderatorem omnium rerum, relicta illa idololatriæ impietate & pravitate; ita quoque in Aegypto multi homines pii & rerum divinarum studiosi exemplo Judæorum adducti esse videntur, ut impietate illa & stultitia popularium suorum spreta & contemta, meliora edocerentur. Quo facilius autem doctrinam Mosaicam e libris Judæorum sacris ediscerent, græca hac librorum divinorum versione lubentissime sunt usi. Ut autem Judæi gentiles illos philosophos eo magis

gis allicerent, ut libros hos ſacros græce verſos legerent, fabulas illas de rege Ptolemæo, Demetrio, Ariſtæa, gentilibus, adeoque ab omni partium ſtudio alienis, & de ſeptuaginta interpretibus, numine divino actis confinxiſſe videntur. Ita enim fieri poterat, ut eo lubentius libros hos, cura regis Ptolemæi, aliorumque uirorum, qui erant alieni a ſacris Judæorum, & quorum memoria ipſis erat grata, a ſeptuaginta interpretibus, nova ratione & miraculo divino, in græcum idioma verſos, legerent, atque præcepta illa de uno deo pie colendo ex iis diſcerent & reciperent. Quo minus autem gentiles, & philoſophi eorum ipſi a ſuperſtitionis labe erant puri & liberi; eo major videtur fuiſſe vis hujus fabulæ de ſeptuaginta viris divinis in eorum animos. Quod commentum eo facilius hominibus ignaris ſeſe probavit, quod ſciebant, Synedrium non LXX, ſed LXXII viris fuiſſe compoſitum. Qua appellatione ipſa hæc opinio, quam Ariſtæas, Joſephus & reliqui ſcriptis ſuis confirmarunt, eſt divulgata, ita, ut plerique de ea ne quidem dubitarent. Quod vero omnes illi, qui ad Synedrium magnum pertinebant, Seniores, Πρεσβυτεροι dicebantur; inde factum eſt, ut hæc verſio diceretur LXX Senum. Sæpius autem id, quod juſſu, conſilio & auctoritate alicujus viri magni eſt factum, eidem ipſi, qui ſuaſerat, juſſerat, aut probaverat, tributum eſ-

ſe,

ſe, intelligimus e nomine Antwerpenſium Polyglottorum, quæ cura Ariæ Montani anno 1572 Antwerpiis prodierunt 6 voluminibus in forma maxima, atque *Biblia regia* in titulo libri ipſo ſunt dicta, quia juſſu regis Philippi II Hiſpaniarum impreſſa ſunt. Eadem itaque ratione illa interpretatio Alexandrina, verſio των εβδομηκοντα eſt appellata. Antiqui autem ſcriptores chriſtiani, qui putabant, interpretes illos, inſpiratione divina actos hanc verſionem compoſuiſſe, adeoque nulli errori fuiſſe obnoxios; nomen illud των εβδομηκοντα retulerunt, uti nemo dubitare poteſt, ad interpretes ipſos. Quo factum eſt, ut iſta Judaica opinio doctorum chriſtianorum auctoritate confirmaretur, & magis magisque divulgaretur. Id quod huic opinioni eo minus poteſt obeſſe, quo facilius intelligi poteſt, unde illorum opinio ſit orta.

versionem auctoritate & consensu Synedrii compositam appellarunt versionem των εβδομηκοντα, scilicet virorum, qui Hierosolymis curam totius reipublicæ Judaicæ gerebant. Paulatim tandem, cum Judæi pia fraude, ut gloriam gentis suæ augerent, atque interpretationi huic θεοπνευσιας laudem tribuerent, fabulam istam, de qua jam satis est dictum, confinxissent; nomen illud των LXX non ad Synedrium, sed ad numerum interpretum retulerunt. Præterea quoque Judæi Alexandrini; si quidem hac in re conjecturis uti licet; omni hac miraculosa & ficta narratione, hoc spectasse videntur, ut doctrinam de uno deo, & justa in eum pietate, philosophis Alexandrinis, atque reliquis gentilibus, litterarum studio excultis, traderent & commendarent. Sic uti enim in Persarum imperio multi Magi & eruditi doctrina hac Judæorum adducebantur, ut unum colerent deum, auctorem & moderatorem omnium rerum, relicta illa idololatriæ impietate & pravitate; ita quoque in Aegypto multi homines pii & rerum divinarum studiosi exemplo Judæorum adducti esse videntur, ut impietate illa & stultitia popularium suorum spreta & contemta, meliora edocerentur. Quo facilius autem doctrinam Mosaicam e libris Judæorum sacris ediscerent, græca hac librorum divinorum versione lubentissime sunt usi. Ut autem Judæi gentiles illos philosophos eo magis

gis allicerent, ut libros hos ſacros græce verſos legerent, fabulas illas de rege Ptolemæo, Demetrio, Ariſtæa, gentilibus, adeoque ab omni partium ſtudio alienis, & de ſeptuaginta interpretibus, numine divino actis confinxiſſe videntur. Ita enim fieri poterat, ut eo lubentius libros hos, cura regis Ptolemæi, aliorumque uirorum, qui erant alieni a ſacris Judæorum, & quorum memoria ipſis erat grata, a ſeptuaginta interpretibus, nova ratione & miraculo divino, in græcum idioma verſos, legerent, atque præcepta illa de uno deo pie colendo ex iis diſcerent & reciperent. Quo minus autem gentiles, & philoſophi eorum ipſi a ſuperſtitionis labe erant puri & liberi; eo major videtur fuiſſe vis hujus fabulæ de ſeptuaginta viris divinis in eorum animos. Quod commentum eo facilius hominibus ignaris ſeſe probavit, quod ſciebant, Synedrium non LXX, ſed LXXII viris fuiſſe compoſitum. Qua appellatione ipſa hæc opinio, quam Ariſtæas, Joſephus & reliqui ſcriptis ſuis confirmarunt, eſt divulgata, ita, ut plerique de ea ne quidem dubitarent. Quod vero omnes illi, qui ad Synedrium magnum pertinebant, Seniores, Πρεσβυτεροι dicebantur; inde factum eſt, ut hæc verſio diceretur LXX Senum. Sæpius autem id, quod juſſu, conſilio & auctoritate alicujus viri magni eſt factum, eidem ipſi, qui ſuaſerat, juſſerat, aut probaverat, tributum eſ-

ſe,

ſe, intelligimus e nomine Antwerpenſium Polyglottorum, quæ cura Ariæ Montani anno 1572 Antwerpiis prodierunt 6 voluminibus in forma maxima, atque *Biblia regia* in titulo libri ipſo ſunt dicta, quia juſſu regis Philippi II Hiſpaniarum impreſſa ſunt. Eadem itaque ratione illa interpretatio Alexandrina, verſio των εβδομηκοντα eſt appellata. Antiqui autem ſcriptores chriſtiani, qui putabant, interpretes illos, inſpiratione divina actos hanc verſionem compoſuiſſe, adeoque nulli errori fuiſſe obnoxios; nomen illud των εβδομηκοντα retulerunt, uti nemo dubitare poteſt, ad interpretes ipſos. Quo factum eſt, ut iſta Judaica opinio doctorum chriſtianorum auctoritate confirmaretur, & magis magisque divulgaretur. Id quod huic opinioni eo minus poteſt obeſſe, quo facilius intelligi poteſt, unde illorum opinio ſit orta.